EPITOME

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

AD USUM ECCLESIASTICÆ JUVENTUTIS

AUCTORE

FRANCISCO MARIA DE FALCO

IN AVERSANO CLERICORUM SEMINARIO
SACRÆ THEOLOGIÆ PRÆCEPTORE.

TOM. I.

PROLEGOMENA THEOLOGIÆ

TRACTATUS
- DE LOCIS THEOLOGICIS.
- DE DEO.
- DE TRINITATE.
- DE CREATIONE.
- DE VERBI INCARNATIONE.

AVERSÆ MDCCCXXII.
Ex Typographia S. Mariæ Magdalenæ.
Superiorum permissu.

Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius.

Eccli. XI. 3.

PRÆFATIO.

Epitomen *hanc* Theologiae Dogmaticae, *quam jubente* Augustino Tommasi *olim* Episcopo Aversano, *in usum adolescentium tardioris ingenii elaboraveram, nunquam animum induxissem, ut publici juris facerem, praesertim cum obdormivisset jam, qui eam jusserat, nisi summi viri, quorum apud me plurima est auctoritas, ut id praestarem, mihi stimulos, prope ad religionem, injecissent, ne spe consequendi operis frustrarentur eorum vota, in quorum utilitatem libentissime desudaveram. Ego enim conscius mihi sum imbecillitatis meae; et si quae aliquando fuerunt ingenii vires, cum eas paene profligaverint graves, ac variae multorum annorum occupationes, verebar, ne* Epitome, *cum esset rudis, et incomta, potius fastidium moveret eorum, qui lecturi essent, quam ut gratiam ullam consequeretur. Accedit, quod neque per otium licuit, neque adversae valetudinis incommoda tulerunt, ut eam perpolirem, quo fortassse castigatior, limatiorque evasisset.*

Verum haec ipsa, quae ab initio absterrebant, ne opus vulgarem, postea, ubi me collegi, animosiorem reddiderunt, ut illud prelo committerem. Sic enim mecum ipse statui. Res non est transigenda cum viris doctis, neque cum adolescentibus alacrio-

criori ingenio praeditis, et laxioribus Institutionibus *addiscendis idoneis*; *sed cum iis, quibuscum non esset jucunde actum, si* Epitome *prodiisset elegantior, non vero simplex, ac stilo eorum ingenio accommodato, veluti consulto, exarata .. Omne punctum me laturum existimavi, si in duo parvae molis volumina ita materias coegissem universas, ut, non intactis involutis quaestionibus, neque in iis aliquid defuisset, quod in Auctoribus, qui fusius scripserunt, occurrit pertractatum, neque perspicuitatem, quantum fieri potuisset, a brevitate sivissem dissociari. Quod ut assequerer, totam curam intendi in ea temporis brevitate, ac subsecivis horis; quibus opus digessi. Assecutus fuerim necne, qui legit*, jove judicet aequo. *Materias vero omnes ita in suas partes tribuendas curavi, ut alia aliam merito videretur excipere. Nimirum eum ordinem secutus sum, quo totum opus in* Tractatus, Capita, *et* Paragraphos *dispescitur*. Tractatus *rem praecipuam, quae tractanda suscipitur, aperiunt*; Capita *sunt* periochae *eorum, quae in* Paragraphis *vel cognoscenda, vel demonstranda statuuntur*; Paragraphi *denique varias quaestiones concludunt, quibus veritates theologicae vel declarantur, vel demonstrantur, vel a contrariis rationibus vindicantur, angustius, aut latius, prout materia videtur postulare*.

Institutae praefationis ratio postularet, ut postquam edendi operis consilium, ipsiusque

que digestionem brevi sermone patefecerim, de Theologiae Dogmaticae *laudibus aliquid disputarem, quo adolescentium animi ad id studii omni cura, diligentiaque colendum magis, magisque inflammarentur. Atqui id mihi omnino praetereundum esse judicavi. Nam una ex parte mihi non licuit esse tam diserto, ut exornare incipiens illud effugiam*: ne sutor ultra crepidam, *cum a prima aetate unas musas severiores coluerim, ac inter hirsutos, hispidosque* Scholasticos, *ut vocant, vitam duxerim; ex alia, nemo non intelligit* Theologiam Dogmaticam *eam esse scientiam, quae cum Deum ipsum proxime attingat, divinaeque bonitatis fontes in humanum genus derivatos exponat, ac viam ad aeternam felicitatem adipiscendam instruat, tanto est ceteris omnibus facultatibus anteponenda, quanto divina humanis, immortalia morituris antecellunt.*

Igitur ea re silentio praetermissa, ad methodi *susceptae rationem quod spectat aliquid addam. Nempe satius visum est, res omnes per continuatos dialogos tradere, cum hujusmodi adolescentes tardiores, quorum commodo deservire studui nulla optatiore, ac expeditiore via ad arduas scientias persequendas duci posse doctus fuerim, ex quo olim ad alias meas curas accessit illos erudiendi demandata provincia. Quod eo consilio hic adjiciendum putavi, ne quis forte miretur, me a recepta aliorum Scriptorum consuetudine per* Dialecticae *regu-*

las

las tradendi veritates, quasi injuria, recedere voluisse. Denique illud non omittendum, hanc Epitomen *perlegisse Cl. Virum* Cajetanum de Fulgure, *qui mihi affirmavit, eam, si qua alia labes inficit, certe, ad doctrinae veritatem quod attinet, omnino puram esse. Igitur opus libenter emitto; eoque libentius, ut, si, viribus prorsus dejectis, munere docendi defungar, saltem ea consolatione non caream, quod Ecclesiasticae juventuti, quam semper studiosissime colui, et, ut juvarem, nullis laboribus peperci, qua una, et reliqua ratione potui, non cessaverim opitulari.*

Ad extremum vos compello, Adolescentes, quorum uni bono susceptus hic labor est, ut, quoniam expeditius factum est iter, quo ad sacram doctrinam comparandam pervenire valeatis, curas meas ad irritum recidere incuria, inertiaque vestra non patiamini, sed ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in SCIENTIA DEI. Coloss. I. 10.

PROLEGOMENA THEOLOGIÆ

CAP. I.

De natura, et divisione Theologiæ.

§ I.

Theologiæ natura.

Q. Quid est Theologia?

℟. Juxta vim nominis est *Sermo de Deo*. Juxta vero naturam rei, definiri potest: *Scientia, et sapientia, quae ex principiis divinitus revelatis, tam de Deo, quam de iis, quae ad Deum, quoquo modo spectant certas conclusiones elicit*. Dicitur 1. *Scientia*; quia demonstrat veritatem earum rerum, quas tradit; quod est proprium *scientiae*. 2. *Sapientia*; nam de *rebus altissimis*, nempe de Deo, et iis, quae ad Deum quoquo modo spectant, per *caussas altissimas*, scilicet, per principia divinitus revelata agit, qua ratione habitus aliquis appellatur *sapientia*. 3. *ex principiis divinitus revelatis*; ut, et distinguatur Theologia a qualibet scientia naturali, et ostendatur, principia divinitus revelata esse respectu Theologiae, quod sunt axiomata respectu Geometriae. 4. *tam de Deo, quam de iis, quae ad Deum quoquo modo spectant*, ut cognoscatur, quale sit objectum *totale*, et *adaequatum* ejus. 5. denique cer-

certas conclusiones elicit ; ut distinguatur habitus Theologiae a fide ; fide enim assentimur alicui veritati per simplicem actum mentis , absque demonstratione ; per habitum vero Theologiae alicui veritati assensum præbemus , quia evidenter cognoscimus , et demonstramus , illam connexam esse cum divina revelatione .

§. II.

THEOLOGIÆ DIVISIO .

Q. Quomodo dividitur Theologia ?

℟. 1. Ratione *materiae* dividitur in *Dogmaticam* , et *Moralem* . Dogmatica est , quæ versatur circa fidei dogmata . Moralis est , quae circa mores dirigendos occupatur . 2. Ratione *modi* , quo res pertractat , sive Dogmatica , sive Moralis , dividitur in *Positivam* , et *Scholasticam* . Positiva est , quae disserit stylo fusiori , et Oratorio , qualis est Theologia Patrum . Scholastica utitur stylo pressiori , certa methodo , et Dialectica , ut est Theologia , quæ hodie obtinet in scholis 3. Dividi etiam solet in *Speculativam* , *et Practicam* ; sed nos cum D. Thoma 1. p. q. 1. art. 4. hanc divisionem rejicimus ; quia idem Theologiæ habitus est simul Speculativus , et Practicus , quatenus non consistit in sola veritatum contemplatione , sed ad nostrum amorem in Deum inflammandum , et mores dirigendos mire accommodari potest .

CAP.

CAP. II.

DE THEOLOGIÆ NECESSITATE, ET UTILITATE.

§. I.

THEOLOGIÆ GENERICE SPECTATÆ RESPECTU FIDELIUM, ET ECCLESIÆ NECESSITAS.

Q. THeologia est ne *absolute*, et *simpliciter* necessaria singulis fidelibus?

℟. Nulla Theologiæ species est *absolute*, et *simpliciter* necessaria singulis fidelibus, dicente *Apostolo* I. *Cor.* XII. 19. *Numquid omnes Doctores?* Fides quippe, quae per charitatem operatur, sufficit ad salutem. *Marci* XVI. 16. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*. Et Augustinus scribens de Theologia ait: *Hac scientia plurimi non pollent fideles; licet fide polleant, quae sola sufficit*.

Q. Saltem est ne necessaria *absolute*, et *simpliciter* toti Ecclesiæ?

℟. Theologia, prout supra definita est, semper fuit *absolute*, et *simpliciter* necessaria in Ecclesia, ut Doctrina Christi exponeretur, illustraretur, et vindicaretur ab Hereticorum calumniis, et cavillationibus. Unde *Apostolus Ephes.* IV. 2. de Christo loquens ait: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Do-*

ctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Et *Augustinus lib.* XIV. *de Trin. Est scientia, qua fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, et roboratur*.

§. II.

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ UTILITAS.

Q. Theologia scholastica est ne perniciosa, ut dictitant Haeretici, an utilis Christi Ecclesiæ?

R. Est maxime utilis. Siquidem Theologia scholastica, si spectetur quoad *substantiam*, docet easdem veritates, quas tradit Theologia *positiva*, quam probant Haeretici. Si vero spectetur quoad *modum*, quo res Theologicas pertractat, diximus supra, tantum uti stylo pressiori, certa methodo, et Dialectica; quae quis non probat? Nam stylo pressiori status quaestionis melius intelligitur; methodus lucem affert, cum res ad certa capita revocantur; et moderatus Dialecticae usus ad tuendas contra Haereticos fidei veritates non parum utilis est. *Vis Dialecticae*, ait Basilius *ad Cap. I. Isaiae, dogmatum est murus, quae ea a quibuslibet, qui vellent, facile interverti, aut facile expugnari non sinit*.

Q. Si

Q. Si Theologia scholastica adeo utilis est, cur contra Philosophiam, et Dialecticam declamant *Apostolus ad Colos. II. 8.* et *Patres Ecclesiae ?*

℟. Declamant contra abusum ; non vero adversus sincerum Philosophiae, et Dialecticae usum.

TRACTATUS
DE
LOCIS THEOLOGICIS.

CAP. I.

De locis Theologicis generatim.

§. I.

Locorum Theologicorum definitio, atque divisio.

Q. Quid sunt loci Theologici ?

℟. Sunt sedes argumentorum Theologicorum, h. e. fontes, unde Theologi res divinitus revelatas, aliaque argumenta ad suas theses demonstrandas depromunt.

Q. Quot sunt loci Theologici ?

℟. Uulgo numerantur decem. Quatuor continent *certo* res divinitus revelatas, nempe

Traditio Divina, Scriptura sacra, Definitio Ecclesiæ Universalis, et constans atque unanimis Patrum doctrina; ideoque dicuntur loci *interni*, et *necessarii*. Tres continent non *certo*, sed *probabiliter* res divinitus revelatas, scilicet Concilia Provincialia, aliquot seorsim Patres, et Theologorum consensus; et propterea nuncupantur loci *interni*, sed non *necessarii*. Tres alii denique h. e. Ratio naturalis, Philosophia, et Historia neque *certo*, neque *probabiliter* continent res divinitus revelatas, sed adjuvant Theologum, ut veritates theologicas illustret, et confirmet, et loci *externi* appellantur.

CAP. II.

De Traditione.

§ I.

Traditionis definitio, et divisio.

Q. Quid est generatim Traditio?

℟. Est doctrina, *vel ad fidem*, *vel ad mores*, *vel ad disciplinam spectans*, *viva voce*, *ab auctore suo communicata*. Dixi; *a suo auctore*; nam non obstat Traditioni, si ab initio, viva voce, a suo auctore communicata sit, et postea ab aliis scripto mandetur.

Q. Quotuplex est Traditio?

℟. Quoniam auctor Traditionis potest esse

vel

vel Deus, vel Apostoli, vel Ecclesia; hinc triplex est Traditio; Divina, Apostolica, et Ecclesiastica. Divina est, quæ a Deo Patriarchis, et Prophetis, vel a Christo discipulis in mortali conversatione; vel a Spiritu Sancto in die Pentecostes, per revelationem communicata est Apostolis sine scripto, et ab Apostolis *viva voce*, et sine scripto prædicata fidelibus. Apostolica est, quam Apostoli auctoritate Apostolica, et ut Ecclesiæ Pastores viva voce constituerunt ex. gr. *jejunium quadragesimale*. Ecclesiastica denique est, quam Concilia, aut SS. Pontifices, aut Ecclesiae Patres viva voce introduxerunt, ut ex. gr. *Vigiliae*, aliaque Ecclesiastica statuta.

Q. Quaenam ex his traditionibus est locus Theologicus?

℟. Sola Divina Traditio; quia hæc sola, utpote Verbum Dei, continet res divinitus revelatas, quae sunt principia Theologiae.

§. II.

Divinæ traditionis existentia, et necessitas.

Q. Extititne semper haec Divina Traditio?

℟. Semper extitit 1. Ab Adamo usque ad Moysen; nam tunc erat vera fides; sed fides non erat ex verbo Dei *scripto*, quod non extabat; ergo ex verbo Dei *non scripto*, scilicet ex Divina Traditione. 2. A Moyse usque ad Christum; nam licet tunc existe-

ret aliqua Scriptura Sacra, tamen haec non continebat omnia necessario credenda; ex. gr quinam essent libri vere divini; quodnam esset remedium fœmellis contra peccatum originale. 3. In Lege Evangelica h. e. a Christo usque ad consummationem sæculi existit Divina Traditio, nam ait *Apostolus ad Thessal. II. 14. State, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*; unde celebre illud *Chrysostomi Homil. IV. in Epist. ad Thessal. Traditio est? nihil quaeras amplius*.

Q. Divina Traditio est ne necessaria regula fidei, et morum?

℟. Maxime; nam non omnia necessario credenda, et agenda continentur in Sacris Scripturis, sed partim in Scripturis, partim in divina Traditione. Unde quemadmodum S. Scriptura est necessaria regula fidei, et morum, ita et Traditio Divina. Utraque est Verbum Dei. Unde *Concilium Tridentinum* testatur se *Traditiones ipsas tam ad fidem, quam ad mores pertinentes aeque ac Scripturam S. pari pietatis affectu suscipere, ac venerari*.

Q. Quo pacto demonstratur esse aliqua fide credenda, et agenda, quae non continentur in S. Scriptura, et habentur per Traditionem?

℟. Enumeratione eorum. 1. Quod infantes sint baptizandi. 2. Quod baptizati ab Hæreticis non sint rebaptizandi. 3. Quod B. Virgo semper manserit Virgo etiam post partum,

tam. Haec omnia Hæretici ipsi fatentur esse fide credenda; et tamen, ipsis fatentibus, in S. Scriptura non leguntur. Ergo habentur per divinam Traditionem.

Q. Quænam regulæ generales statui possunt, ut occurratur sophismatis Hæreticorum, quibus ex Scriptura, et Patribus oppugnant Traditionem Divinam.

℞ Sequentes 1. Si scriptura aliquibus in locis vel exaggerat *utilitatem* Sacrae Scripturae, vel prohibet omnino *additionem* Verbo Dei, vel impugnat traditiones; non excludit Traditionem Divinam, sed improbat traditiones hominum, omnemque traditionem humano cerebro confictam prohibet. 2. Si Patres dicunt S. Scripturam *sufficere*; vel loquuntur in subjecta materia, quam tractant, vel loquuntur de fidei dogmatis necessario ab omnibus *explicite* credendis, ut *Trinitas*, *Incarnatio*; vel scripturam sumunt late pro verbo, sive *scripto*, sive *non scripto*; vel denique S. Scripturam commendando, adstruunt Traditionis necessitatem, quam ipsa Scriptura insinuat: *state*, *et tenete Traditiones*. 3. Si SS. Patres videntur rejicere Traditiones, intelligendi sunt de falsis, apocryphis, humanis, rejectis, vel non receptis ad Ecclesia.

§. III.

REGULÆ DISTINGUENDI INTER TRADITIONEM DIVINAM, APOSTOLICAM, ET ECCLESIASTICAM.

Q. Quomodo distinguitur Traditio *Divina* ab *Apostolica?*

℞. Utraque descendit a tempore Apostolorum; sed Traditio *Divina* est Doctrina Dei per Apostolos tamquam per præcones transmissa. Traditio *Apostolica* est Apostolorum institutio viva voce prædicata. Ut inter utramque distinguatur, attendendum est 1. Si Patres a primis sæculis *unanimiter*, et constanter docuerunt, tamquam dogma fidei, aliquid non scriptum, et oppositum damnarunt, ut hæreticum, est *Divina* Traditio 2. Si Patres non *unanimiter*, et constanter docuerunt esse dogma fidei aliquid non scriptum, sed postea Ecclesia in Concilio Generali statuit de fide tenendum, et contrarium sentientes anathemate percussit, est *Divina* Traditio. Omnis alia Traditio a tempore Apostolorum descendens, quae ipsorum non superat potestatem, dicenda est Traditio *Apostolica*.

Q. Quomodo utraque Traditio *Divina*, et *Apostolica* distinguitur ab *Ecclesiastica?*

℞. Facillime; nam in Historia Ecclesiastica designatur tempus, vel occasio, in qua vel a SS. Pontificibus, vel ab alique Concilio introducta est illa Traditio, quae dicitur *Ecclesiastica*, post Apostolorum tempora.

CAP. III.

De Scriptura Sacra.

§ I.

Sacrae Scripturae notio.

Q. Quid est Scriptura Sacra?

℞ Est *verbum Dei scriptum*, *Spiritu Sancto inspirante?*

Q. Quid significant hae voces: *Spiritu S. inspirante?*

℞ Significant, Spiritum S. fuisse primarium Sacrae Scripturae auctorem; quia ab ipso sacri scriptores *incitati*, et impulsi, salva eorum libertate, ad scribendum, fuerunt veluti ipsius Spiritus S. amanuenses.

Q. Est ne fide credendum, Sacram Scripturam, *Spiritu Sancto inspirante*, fuisse scriptam?

℞ Est dogma fidei. Nam 1. *Petrus Ep. II. c.* 1. *v.* 20. ait. *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*. 2. In Symbolo Nicæno dicitur de Spiritu Sancto. *Qui locutus est per Prophetas*. 3. Patres uno ore docent, S. Scripturam fuisse *dictatam*, *prolatam*, *compositam* a Spiritu S. et sacros scriptores fuisse Sp. Sancti *manum*, et *calamum*.

Q. Spiritus Sanctus inspiravit sensum S. Scripturae, an etiam verba?

℟. Disputatur in scholis, et utrumque salva fide defendi potest.

Q. Si Sacra Scriptura est a Spiritu Sancto inspirata, cur tantis scatet antilogiis?

℟. Hae antilogiæ sunt *apparentes*, non *reales*; quo pacto vero concilientur, videri potest apud Catholicos Scripturarum Interpretes, qui omnes hæreticorum, et incredulorum cavillationes solidissime refutarunt.

§ II.

SACRÆ SCRIPTURÆ DIVISIO.

Q. Quomodo dividitur Sacra Scriptura?

℟. Dividitur in *Vetus*, et *Novum* Testamentum?

Q Quot libros continet Vetus Testamentum?

℟. Continet libros XLV. nempe Pentateuchum, qui libros quinque complectitur scilicet *Genesim*, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros*, et *Deutoronomium*; librum *Josue*, librum *Judicum*, et librum *Ruth*; quatuor libros *Regum*; duos libros *Paralipomenon*; duos libros *Esdrae*, quorum secundus dicitur etiam liber *Nehemiae*; *Tobiam*, *Judith*, *Estherem*, *Job*; *Psalmos CL*.. *Proverbia*, *Ecclesiasten*, *Canticum*, *Sapientiam*, *Ecclesiasticum*; quatuor Prophetas dictos *Majores*, quia prolixius scripserunt, scilicet *Isaiam*, *Jeremiam* cum *Baruch*, *Ezechielem*, *Danielem*; duodecim *Minores*, nempe *Oseam*, *Joelem*, *Amos*, *Abdiam*, *Jonam*, *Michaeam*,

am, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophoniam*, *Aggaeum*, *Zachariam*, *Malachiam*, et duos libros *Machabaeorum*.

Q. Quot libros habet Novum Testamentum?

℞ Habet XXVII. h. e. Quatuor *Evangelia*, *Acta Apostolorum*, *Epistolas* Pauli quatuordecim, *Epistolas* Petri duas, Joannis tres, Jacobi unam, Judæ unam, et *Apocalypsim*.

Q. Recensiti libri tam Veteris, quam Novi Testamenti sunt semper habiti, ut divini h. e. Spiritu S. inspirati?

℞ Licet omnes semper tales fuerint, non tamen omnes, ut tales agniti sunt in omni tempore. Hinc ii libri, qui ut divini, et sancti semper habiti sunt, ab initio fuerunt relati in Canonem, h. e. in Catalogum Sacrorum librorum, et dicti sunt *Protocanonici*. Alii vero, qui successu temporis cogniti sunt, ut scripti Spiritu Sancto inspirante, et hinc in Canonem relati, appellati sunt *Deuterocanonici*.

Q Quinam libri sunt *Protocanonici*, et quinam *Deuterocanonici*?

℞. Exceptis Veteris Testamenti libris *Tobia*, *Judith*, *Sapientia*, *Ecclesiastico*, *Baruch*, duobus libris *Machabaeorum*, nonnullis partibus *Danielis*, et *Estheris*; et Novi Testamenti, capite ultimo *Marci*, , *Lucae* Historia de sudore Christi sanguineo Cap. 2. *Joannis* historia de muliere adultera cap. 8. *Epistola* ad Hebraeos, *Epistola Jacobi*, et *Apocalypsi*, qui sunt *Deuterocanonici*, cæteri

teri omnes sunt *Protocanonici*.

Q. Conveniunt ne nobiscum Judæi, et Hæretici circa hunc sacrorum librorum canonem?

℟. Judæi admittunt solum libros *Protocanonicos* veteris Testamenti; Hæretici pro libito admittunt, vel rejiciunt, prout eorum systemati eos vident favere, vel adversari.

Q. Est ne legitimus Scripturarum *Canon* juxta numerum librorum recensitorum?

℟. De fide est, esse legitimum; nam Concilium Tridentinum innixum costanti Ecclesiae traditione, postquam exposuit numerum librorum Sacrorum, prout a nobis relatus est, *Sess. IV.* sic statuit: *Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina editione habentur, non susceperit, anathema sit.*

Q. Quorum ministerio usus est Sp. Sanctus, ut libros divinos scriberet?

℟. Maxima pars librorum scripta est ab iis, quorum nomina gerunt. De nonnullorum auctoribus quæstio est; sed id non officit ipsorum divinitati, cum constet de fide, Sp. Sanctum fuisse ipsorum auctorem *primarium*, et *inspirantem*.

§. III.

§ III.

Idioma, seu lingua, qua scriptum est tum vetus, tum novum Testamentum a scriptoribus sacris.

Q Qua lingua scriptum est Vetus Testamentum?

℟. Libri *Protocanonici* omnes scripti sunt lingua Hebraica, et characteribus Hebraicis. At Esdras, post captivitatem Babylonicam, in unum corpus colligens libros sacros, retinuit linguam Hebraicam, et characteres assumpsit Chaldaicos. Ex libris *Deuterocanonicis* Tobias, et Judith, et nonnullæ partes *Danielis*, et Esdrae scriptae sunt Chaldaice; secundus Machabæorum Græce; primus Machabæorum, et Ecclesiasticus Hebraice, licet græca tantum hodie versio supersit.

Q. Qua lingua scriptum est Novum Testamentum?

℟. Exceptis Matthæi Evangelio, et, juxta nonnullos, Pauli Epistola ad Hebræos scriptis Hebraice, vel potius Syriace, Novi Testamenti textus originalis Græcus est.

Q. Hodie textus Originalis utriusque Testamenti est corruptus, an incorruptus?

℟. Incorruptus est quoad *substantiam*, licet non careat levioribus mendis ex incuria typographorum, et propter quarumdam litterarum, sive Hebraicarum, sive Chaldaicarum, sive Græcarum inter se similitudinem.

§. IV.

§. IV.

SACRÆ SCRIPTURÆ VERSIONES.

Q. In quot linguas versa est Sacra Scriptura, h. e. quot sunt Sacræ Scripturæ versiones?

℟. Innumeræ; sed præcipuæ sunt Græca, Syriaca, Arabica, Chaldaica, et Latina.

Q. Missis versionibus Syriaca, Arabica, et Chaldaica; quænam est versio Græca?

℟. Versio Græca etiam multiplex est; sed omnibus celebrior est versio vulgo dicta LXX. Interpretum. Nempe cum Ptolomæus Philadelphus Ægypti Rex optaret, ut in sua opulentissima Bibliotheca non deesset Scriptura Veteris Testamenti, in Græcum idioma translata, opera septuaginta et duorum interpretum ex Judæa arcessitorum, versionem illam habuit, quæ numero rotundo dicta est versio LXX. Interpretum, magnæ olim, et hodie auctoritatis in Ecclesia.

Q. Quid est versio Latina?

℟. Multiplex facta est Sacræ Scripturæ in linguam latinam versio; sed notiores sunt *Itala*, et *Vulgata* nostra. Itala ab incerto auctore edita, erat in usu Ecclesiæ occidentalis h. e. Italiæ, ante tempora Hieronymi, et aliquod post tempus; et translata est ex Græco textu, etiam quoad libros non Græce in textu Originali scriptos. Vulgata a D. Hieronymo adornata est ex textu Originali

Ne-

Hebraico, excepto novo Testamento, quod emendavit tantum, nec non libris quibusdam Deuterocanonicis Veteris Testamenti, quos in latinum non transtulit, nempe libris Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, *Baruch* cum epistola Jeremiæ.

Q. Igitur quinam est auctor hujusce versionis, qua hodie utitur Ecclesia?

℟. Vetus Testamentum, exceptis libris nominatis supra, desumptum est ex versione Hieronymi. Libri superius recensiti, exceptis Psalmis, ex versione Itala. Hieronymus etiam Psalmos ex Hebræo in Latinum verterat, sed quoniam fideles assueverant canendis Psalmis juxta quandam versionem ex textu Origenis, et Luciani adornatam, ita retenti sunt. Novum testamentum totum est ex Itala versione ab Hieronymo ipso correcta.

Q. Estne indubitatæ fidei, sive authentica, nullum errorem contra fidem, et mores continens latina versio, qua utimur?

℟. Authentica est. Ita definivit Concilium Tridentinum *Sess. IV. Sacrosancta Synodus* . . . . . *statuit, et declarat, ut haec ipsa vetus, et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, et expositionibus authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat.*

§. V.

§ V.

MULTIPLEX S. SCRIPTURÆ SENSUS.

Q. Quotuplex est S. Scripturæ sensus?

℞. Generatim triplex est, *Litteralis*, *Mysticus*, et *Accommodatitius*.

Q. Quotuplex est sensus *Litteralis?*

℞. Duplex *proprius*, et *metaphoricus*. *Proprius* est, quem verba grammaticaliter intellecta præseferunt, ut cum dico: *Leo*; intelligitur animal ferum sylvæ. *Metaphoricus* est, quem verba propter aliquam similitudinem, per metaphoram, denotant, ut cum dicitur: *Vicit Leo de tribu Juda*; intelligitur Christus...

Q. Quotuplex est sensus *Mysticus?*

℞. Triplex, scilicet, *Allegoricus*, *Moralis*, et *Anagogicus*. Allegoricus respicit Ecclesiam militantem. Moralis ad nostros mores informandos pertinet. Anagogicus est de rebus sperandis in Patria. Unde 1. respondet fidei, 2. charitati, 3. spei. Hinc illud:

Littera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Sic vox *Jerusalem* ad *litteram* designat urbem Judæorum; *allegorice* Ecclesiam militantem; *Moraliter* animam nostram; *anagogice* cælestem patriam.

Q. Quid est sensus *Accommodatitius?*

℞. Est ille, quem verba Scripturæ habent non

non ex intentione Dei , aut sacri scriptoris , sed ex mente hominis , qui verba illa ad aliquem casum particularem detorquet . Ut si aliquis Orator applicet alicui Sancto , de quo orationem instituit , verba illa in sacris litteris de *Abraham* pronuntiatis : *Non est inventus similis illi* .

Q. A quibus ex recensitis sensibus duci possunt argumenta theologica ?

℟ · Ex solo sensu *litterali* , quia ille solus continet verbum Dei , sive divinam revelationem ; alii excogitantur ab homine . Possunt etiam duci ex sensu mystico , si ipsa Scriptura , aut Traditio divina aliquem locum mystico sensu exponunt , quia tunc sensus mysticus est verbum Dei , sive res divinitus revelata ; ut cum Apostolus Paulus in sensu mystico exponit illa verba , *non alligabis os bovi trituranti* , intelligenda esse de stipendiis , quæ ministris Evangelicis debentur .

Q. Sacræ Scripturæ sensus est ubique clarus , an in multis obscurus existit ?

℟ In multis obscurus est . Nam *Petrus* II c. 3. de Epistolis *Pauli* ait : *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu* . *Act.* 8. Philippo interroganti Eunuchum . num intelligeret Scripturas , respondit Eunuchus : *Quomodo possum intelligere , si non aliquis ostenderit mihi ?* Et ex PP. Gregorius *Homil.* XVII. in Ezech. *Multa sunt* , ait , *in scripturis aperta , ut pascant parvulos , quaedam obscura , ut exerceant fortes* . Denique si scriptura est ubique clara , cur tot commentaria PP. et interpretum ad explicandam scrip-

Scripturam, etiam in rebus necessariis? cur tot inter ipsos Haereticos lites, et dissensiones de vero Scripturae sensu?

Q. Cujus est judicare de vero Scripturae sensu?

℞. Est solius Ecclesiae, quae est infallibilis Scripturae Interpres, et Judex controversiarum *fidei*, et *Morum*.

Q. An non potest admitti etiam Spiritus Privatus, ut legitimus Judex, et Interpres Scripturae?

℞. Ita somniant Hæretici; sed hic Spiritus Privatus fictitius est, et sui ipsorum cerebri deliramentum, spiritus dissensionis, erroris, et controversiae; non vero charitatis, et veritatis. Unusquisque enim jactare poterit, privato se spiritu incitari, atque edoceri: ac propriam sibi quisque religionem effingere.

C A P. IV.

De Ecclesia.

§ I.

Ecclesiæ definitio, et partes.

Q. Quid est *Ecclesia?*

℞ Juxta vim nominis Graeci, est cœtus *convocatus*. Qua data significatione, in Scripturis etiam congregatio hominum impiorum dicta

cta est *Ecclesia* Psal. XXV. *odivi Ecclesiam malignantium*. Sed Ecclesia per totum orbem diffusa, de qua hic quæritur, definiri potest: *Coetus hominum baptizatorum, unius, et ejusdem fidei professione, et eorumdem Sacramentorum communione adunatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue Romani Pontificis Christi Vicarii*.

Dicitur 1. *coetus hominum baptizatorum*, quia *baptismus*, ait Concilium Florentinum, *vitae spiritualis janua est, per quam membra Christi, ac de corpore Ecclesiae actu efficimur*. Et Tridentinum *Sess. XIV. cap. 2. Ecclesia in neminem exercet judicium, qui non prius in ipsam per baptismi januam sit ingressus*. Dicitur 2. *unius, et ejusdem fidei professione*. Nam Ecclesia est corpus Christi; et corpus Christi unum est, unum habens Spiritum. *Eph. IV. 4. Unum corpus, unus spiritus*; ac proinde unam, eamdemque fidem debent profiteri, qui de ejus corpore h. e. Ecclesia sunt. Unde ait Cyprianus *lib. de Unit. Eccl.* sub finem: *Deus unus est, et Christus unus, et Ecclesia ejus, et fides una*. Dicitur 3. *et eorumdem Sacramentorum communione adunatus*; quia cum usus Sacramentorum, præter cætera, sit etiam actus externus, quo fideles exterius profitentur, se ad Ecclesiam Christi pertinere; ut dignoscatur, ad eamdem Ecclesiam eos spectare, debent in communione eorumdem Sacramentorum adunari. Dicitur 4. *sub regimine legitimorum Pastorum, et praecipue Romani Pontificis Christi Vicarii*;

nam Christus Ecclesiam suam comparat ovili, quod unum habet Pastorem: *Joannis* X. 16. *Fiet unum ovile, et unus Pastor*. Sic in Christi Ecclesia fideles debent esse subditi legitimis Pastoribus, et hi, simul cum illis, supremo Pastori, scilicet Romano Pontifici, subordinati.

Q. Quænam sunt Ecclesiæ partes?

℞. Ecclesia est corpus Christi. I. *Cor.* XII. 12. *Apostolus* ait: *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, sic et Christus*, h. e. Christi Ecclesia. Quemadmodum igitur corpus humanum constat capite, et membris, quorum alia aliis præsunt; sic et Christi Ecclesia constat capite, nempe Romano Pontifice, et membris, quorum alia aliis præsunt, nec *eundem habent actum*, scilicet, quorum alii sunt Episcopi, alii Præsbyteri, alii simplices Laici.

§. II.

DE CAPITE ECCLESIÆ.

Q. Quodnam est Ecclesiae Caput?

℞. Est Romanus Pontifex, qui jure divino habet primatum *honoris*, et *jurisdictionis*, tum in omnes Episcopos, tum in universam Ecclesiam?

A. Quomodo id ostenditur?

℞ Theologi plurima argumentorum segete id demonstrant, adversus oblatrantes Novatores, sed nos unico, et brevi syllogismo demonstrabimus. *Petrus* habuit a Christo prima-

matum honoris, e jurisdictionis in Apostolos, et universam Ecclesiam. Atqui Romanus Pontifex succedit Petro in hoc primatu. Ergo Romanus Pontifex habet primatum honoris, et jurisdictionis in Episcopos Apostolorum successores, et in universam Ecclesiam Probatur Major. *Matth.* XVI. 18 Christus dixit Petro: *Tu es Petrus*, *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*; et post resurrectionem actu primatum illum Petro contulit, cum ait *Joan. XXI* 15. *pasce agnos meos*'*pasce oves meas*, h. e. *pasce agnos*, nempe fideles, *pasce oves*, scilicet Episcopos, qui sunt respectu fidelium, quod sunt oves respectu agnorum. Probatur Minor Traditione. Patres unanimiter, et constanter docuerunt 1. Romanos Pontifices esse Petri *successores*; 2. Romanam Sedem *primatum habere*; 3. Ad Romanum Pontificem *appellari* posse a judicio synodorum, et ad eum pertinere *caussas majores*. Ergo sicut Petrus habuit in Apostolos, et Ecclesiam primatum honoris, et jurisdictionis, ita illum habet Romanus Pontifex in Episcopos, et Ecclesiam.

Q. Romanus Pontifex estne infallibilis in definiendis controversiis *fidei*, et *Morum*?

℞ Si definiat, ut *privata persona*, fallibilis est; at si definiat ex *cathedra* h. e. universam docens Ecclesiam, adhibito consilio Fratrum, auditis Theologis, et fusis ad Deum precibus, cum saniori, et maxima Theologorum parte sentimus, infallibilem esse.

§. III.

§. III.

De membris Ecclesiae.

Q. Quid requiritur, ut quis sit, et dicatur membrum Ecclesiae?

℟. Juxta Ecclesiae definitionem superius datam, requiritur 1. ut sit baptizatus, 2. ut habeat fidem, 3. ut possit percipere Sacramenta, quae in Ecclesia ministrantur, 4. ut legitimis Pastoribus, Summoque Pontifici subditum se esse fateatur, et factis demonstret.

Q. *Turcae*, et *Infideles*, et homines ignotae gentis suntne membra Ecclesiae?

℟. Minime, quia non sunt baptizati; qui enim per januam, quae est baptismus, in Ecclesiam ingressus non est, extra Ecclesiam est.

Q. Catechumeni suntne membra Ecclesiæ?

℟. *Actu* non sunt membra Ecclesiae, quia nondum receperunt baptismum. Unde *Actorum* II. 41. tunc fideles dicti sunt *appositi*, h. e., adjecti corpori Ecclesiæ, cum baptismo initiati fuerunt: *qui receperunt sermonem ejus baptizati sunt, et appositae sunt in illa die animae circiter tria millia*. Sed quoniam fidei rudimenta edocentur, et ad baptismum disponuntur, dicuntur in *potentia* Ecclesiae membra.

Q. *Apostatae*, et *Haeretici* suntne membra Ecclesiae?

℟. Minime. Apostatae enim non habent fidem,

dem, quippe sunt, qui omnem omnino Religionem Christianam ejurarunt. Haeretici vero non credunt omnibus, quae Deus revelavit, et Ecclesia credenda proposuit; ideoque ea, quae credunt, non divina fide credunt, sed humana. Unde Apostolus *Tit.* III. 10. monuit: *Haereticum hominem post unam, et secundam correptionem devita.*

Q. Saltem occulti *Apostatae*, et *Haeretici* dici possunt Ecclesiæ membra?

℟. Secundum rei veritatem non sunt in Ecclesia. Apostolus enim *Tit.* III. 11. *absolute* pronuntiat Hæreticum esse vitandum, nam *proprio judicio* est condemnatus. Et *Judas* clarius idem docet; loquens enim de Hæreticis ait: *Hi sunt, qui segregant semetipsos.* Idem dicas de Apostatis, potiori jure. Sed quoniam Apostatæ, et Hæretici occulti pergunt *exterius* veram fidem profiteri, manere in externa fidelium societate, et iisdem sacramentis, quæ percipiunt veri fideles, participare, aliquo sensu, et *secundum quid* dici possunt esse in Ecclesia.

Q. *Excomunicati* suntne membra Ecclesiæ?

℟. Ipsa vox *excommunicati* significat aliquem a legitima potestate extra communionem Ecclesiæ positum. Igitur excommunicati non sunt membra Ecclesiæ. Quod intelligendum est de excommunicatis *excommunicatione majori*; sive tolerati sint, sive non tolerati h. e. evitandi. De talibus ait Christus. *Matth.* XVIII 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.* Et re quidem vera *excommunica-*

tio major hominem privat bonis Ecclesiæ communibus, Sacramentis, Sacrificiis, suffragiis, aliisque; unde tales excommunicati non adunantur eorumdem sacramentorum communione, quod necessarium est, ut quis dicatur Ecclesiæ membrum. Multati vero *excommunicatione minori* non sunt extra Ecclesiam.

Q. *Schismatici* suntne membra Ecclesiae?

℟. Minime. Nam *Schismatici* dicuntur, qui a regimine legitimorum Pastorum, et Summi Pontificis sejunguntur; id nempe significat *schisma* h. e. separationem. Unde ait Hieronymus in *Cap.* III. *Epist.* ad *Tit.* *Inter haeresim, et schisma hoc interesse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habeat; schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separet*. Ergo schismatici non sunt membra Ecclesiæ.

Q. Quinam igitur vere, et proprie sunt membra Ecclesiæ?

℟. Præter non *baptizatos*, *Apostatas*, *Haereticos*, *Excommunicatos excommunicatione majori*, et *Schismaticos*, omnes illi, qui sunt baptizati, habent fidem, possunt percipere sacramenta, et legitimis Pastoribus, Romanoque Pontifici obediunt sive sint Praedestinati, sive Reprobi, sive justi, sive peccatores sunt membra Ecclesiae. Hoc discrimine, quod ii, qui gratia Christi ornantur h. e. justi, dicuntur membra *viva*; qui vero peccatis letalibus maculantur h. e. peccatores, membra *mortua* nuncupantur.

§. IV.

§. IV.

Quid, et quae sint notae verae Ecclesiae Christi.

Q. Quid sunt Ecclesiae *notae*?

℟. Sunt quidam characteres, quibus Ecclesia Christi veluti signata, digito demonstrari potest, et dici: *haec est Ecclesia Christi*; quique ita illius proprii sunt, ut nulli alteri sectae possint convenire; alioquin per illos non dignosceretur, quaenam est vera Christi Ecclesia.

Q. Quaenam juxta Haereticos sunt *notae* Ecclesiae?

℟. Duae: *Veritas doctrinae*, *et recta Sacramentorum administratio*. Sed falluntur; nam unaquaeque secta obstinate contendit, se veram doctrinam tradere, et recte sacramenta administrare, nec rudis, et indoctus facile cognoscit sophismata, et cavillationes, quibus id conatur ostendere. Sed notae debent esse tales, ut etiam ipsi homines illiterati, et analphabeti queant dicere cum Augustino *Tract. I.* in *Joan. Possumus digito demonstrare Ecclesiam Christi*, *et sunt caeci*, *qui eam non vident*. Igitur *doctrinae veritas*, et *recta sacramentorum administratio* non sunt Ecclesiae *notae*.

Q. Quaenam secundum Catholicos sunt *notae* verae Christi Ecclesiae?

℟. Quatuor. *Unitas*, *Sanctitas*, *Catholicitas*, et *Apostolicitas*. Ita Symbolum Ni-

cenum. Constantinopolitanum: *Credo Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam*. Quas esse veras notas, h. e. cuilibet visibiles, et Christum eas posuisse veluti characteres Ecclesiae suae, et nulli sectae, sed tantum Ecclesiae Romanae, cujus filii sumus, convenire, patebit, cum inferius de iis singillatim fient quaestiones.

§. V.

DE UNITATE ECCLESIÆ.

Q. In quo posita est Ecclesiae *Unitas*?

℟. *Unitas* Ecclesiae posita est in unitate *fidei*, et *regiminis* h. e. ut, qui ad eam pertinent, unam, eamdemque fidem omnes profiteantur circa divinum cultum, Sacramenta etc.; et ita in ea societate unus alteri subsit, ut omnes denique unum agnoscant Caput, a quo omnes pendeant.

Q. Christus voluitne, ut hæc *Unitas* esset nota Ecclesiae suae?

℟. Maxime; et est de fide. 1. Voluit ut Ecclesia sua esset una unitate *fidei*. Nam, Apostolus *Eph.* IV. 4. ait: *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis, in una spe vocationis vestrae*. Et Cyprianus *lib. de Unit. Eccl. Deus unus est, et Christus unus, et Ecclesia ejus, et fides una*. Idem demonstrat *Augustinus* contra *Donatistas*. 2. Voluit, ut esset una unitate *regiminis*. Siquidem Christus comparans Ecclesiam suam ovili *Joan.* X. 16. ait: *fiet unum ovile*,

le, *et unus Pastor*. Unde Cyprianus *lib. de Unit. Eccl. Episcopatus*, inquit, *unus est*, *cujus a singulis in solidum pars tenetur*, *Quomodo solis multi radii*, *sed lumen unum*, *et rami arboris multi*, *sed robur unum*.

Q Hæc unitas *fidei*, et *regiminis* convenitne alicui Sectæ?

℟. Nulli omnino Sectæ convenit: Et re quidem vera 1. Sectæ non habent unitatem *fidei*. Nam si omnes simul accipias *Lutheranos*, *Calvinistas*, *Zuvinglianos*, *Arminianos* etc. incredibilis est eorum opinandi diversitas, etiam in rebus gravissimis, et *fundamentalibus*; si vero seorsim contemplaris, apposite illud usurpabis: *quot capita*, *tot sententiae*, ut erudite prosequitur *Bossuetus in Hist. Variat.* 2. Sectæ non habent unitatem *regiminis*. Nam omnes simul acceptæ tantum abest, ut in aliquam societatem conspirent, ut una alteram odio habeat, et execretur; sed ne divisæ quidem habent *regimen* cujusque sectæ proprium, et unum; cum in varias orbis partes diffusæ existiment Principem sæcularem esse Religionis caput, ac proinde sola e. g. *Lutheranorum* secta, cum in diversis orbis partibus sedem fixerit, diversum, pro diversitate locorum, *regimen* habet.

Q. Ecclesia Romana habetne hanc unitatem *fidei*, et *regiminis*?

℟. Habet. Nam 1. si universum Catholicum orbem peragraveris, videbis omnia Romanæ Ecclesiæ membra ubique diffusa in eamdem doctrinam *fidei*, in eumdem cultum

conspirare, et iisdem prorsus sacramentis uti. Quod si inter Theologos Catholicos ulla unquam controversia fuit, ea utique non est versata in rebus fidei, et morum definitis, sed in iis., quæ, salva fide, disputari utrinque possunt. 2. Quamvis Ecclesia, quæ a Capite Romæ sedente dicta est *Romana*, sit per totum orbem propagata, tamen ita membra ejus inter se connexa sunt, ut fideles Parochis, Parochi Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, Patriarchæ Romano Pontifici sint subjecti. Ergo Ecclesia Romana habet unitatem *fidei*, et *regiminis*.

§. VI.

DE SANCTITATE ECCLESIÆ.

Q. In quo sita est *Sanctitas*, quæ est nota Ecclesiæ?

℞. In sanctitate *professionis*, et *praecipuorum membrorum* h. e. 1. ut sanctus sit finis, sancta præcepta dogmatica, et moralia, quæ profitetur Ecclesia 2. ut plura illius membra sint sancta; quæ *sanctitas*, quamvis per se conspici non possit, cum sit interior, tamen manifesta fit per opera. *Matth.* VII. 20. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*.

Q. Christus voluit, ut Ecclesia sua sit hoc modo sancta?

℞. Maxime; et est de fide. Nam *Cant.* VI. Ecclesia dicitur *decora*, *columba*, *pulchra*, *ut luna*. *I. Petri* II. *Genus electum*, *gens sancta*. *Eph. V. Christus dilexit Ecclesiam*,

siam, et seipsum tradidit pro ea, ut illi a sanctificaret.

Q. Convenitne alicui sectæ hujusmodi *Sanctitas?*

℟. Minime. Nam 1., quævis secta accipiatur, docet dogmata, et præcepta impia, bonisque moribus adprime contraria, ex. gr. *Simoniani* docent bona opera esse inutilia; *Novatiani* nullum esse Pœnitentiæ locum; *Ariani* non esse orandum pro mortuis; denique *Protestantes* dictitant solam fidem justificare, nullumque peccatum, quantumvis grave, habentibus fidem imputari; unde apud ipsos usitatum est illud: *fortiter crede, fortius pecca*. 2. Quo pacto possunt esse sanctitate illustres, qui tam orribilia spargunt dogmata, et secundum ea, suam degunt vitam, scilicet omnibus vitiis, et sceleribus obrutam? nisi dicere velimus, eos ideo ab Ecclesia defecisse, et novas sectas conflasse, ut a luce ad tenebras declinantes possent liberius suis passionibus habenas laxare. Quod si qui ex ipsis naturalem quamdam servant honestatem, sicut etiam nonnulli inter ethnicos, non ideo sancti dici possunt, ut de virtutibus infidelium suo loco dicemus.

Q. Ecclesia Romana habetne Sanctitatem *professionis*, et *praecipuorum membrorum?*

℟. Habet. Nam 1. finis ejus sanctus est, ut scilicet unice Deo serviamus, et ipsi toto corde, perpetuaque charitate adhaereamus: dogmata sunt sancta, quae nempe vel in Scriptura, vel in Traditione continentur:

praecepta moralia quoque Sancta h. e. omnia eo tendentia, ut vitia vel minima fugiamus, et solas virtutes excolamus. 2. Ipsius fundatores, nempe Apostoli, fuerunt viri sanctitate, miraculis, et martyrii gloria celeberrimi; et post eos non defuerunt quovis tempore et viri, et mulieres, qui eximia floruerunt, et florent sanctitate.

§. VII.

DE CATHOLICITATE ECCLESIÆ.

Q. Quid est illa Ecclesiae nota, quae dicitur *Catholicitas?*

℟. *Catholicum* ex Graeco nomine Latinum factum, significat *universale*. Igitur *catholicas* est ea proprietas, qua Ecclesia, cum sit una, dicitur tamen universalis. Sufficit vero, ut Ecclesia dicatur *Catholica*, si sit *moraliter* universalis h. e. in plures, et præcipuas orbis partes magis diffusa, quam quælibet falsa secta. Quo sensu *Daniel*. II. dicitur quod *Nabuchodonosor* occupaverit omnia regna Mundi; et quod *Alexander* imperavit universae terrae; non quod hi Principes *metaphysice* loquendo imperaverint tot orbi; sed pluribus, et praecipuis provinciis. Alii Theologi, et fortasse sanius docent, in e o positam esse Ecclesiae *Catholicitatem*, quod nulla sit orbis pars, in qua non sint Ecclesiae Christi membra h. e. veri fideles.

Q. Vera Christi Ecclesia estne *Catholica?*

℟. Ita est; et quidem ut dogma fidei haben-

bendum . Nam *Psal.* VII. legitur. *Dominabitur a mari usque ad mare , et a flumine usque ad terminos orbis terrae* . Quod etiam antiquitus Deus promiserat Abrahæ . *Gen.* XXII. 18. *In semine tuo benedicentur omnes gentes* . Hoc autem *semen* Christum esse docet *Apost. Gal. III.* 16. *Abrahae dictae sunt promissiones, et semini ejus , . . . qui est Christus* .

Q. *Catholicitas* convenitne alicui sectae ab Ecclesia divisae ?

℟. Minime . Nam , si singulas sectas accipias, exiguum terrae angulum occupant . Sin omnes simul accipias , cum non unum constituant corpus , ridicule dicerentur Ecclesia catholica . Sed neque sic acceptæ universitatem eam habent , quam ad catholicitatem requiri diximus . Etenim neque Protestantium sectæ in oriente notæ sunt , nisi ut hæreticæ , neque orientales sectæ in Occidente . Quod maxime patet ex Augustini argumento , qui contra Hæreticos sui temporis ita sermonem instituebat . Si Peregrinus aliquam urbem ingressus , ubi Hæretici sint , et Catholici , interroget hæreticum , quaenam est Catholicorum Ecclesia , nemo haereticus Ecclesiam demonstrabit suam , ita ut sua ipsorum confessione convincantur , sectam eorum *Catholicitatem* non habere .

Q. Ecclesia Romana habetne hanc *Catholicitatem* ?

℟. Ecclesia Romana fuit , et est modo *Catholica* . Siquidem , ex primis temporibus Patres objecerunt Haereticis, Ecclesiam Roma-

nam esse per totum orbem diffusam, nec ii licet contentiosissimi, negare ausi sunt. Et hodie ea latissime patet in Asia, in Africa, in America, in Europa; ita ut si itineratores interroges, respondebunt nullam esse orbis partem etiam remotissimam, in qua non sint veri fideles, ad Ecclesiam Romanam pertinentes.

§. VIII.

De Apostolicitate Ecclesiae.

Q. Quid est Ecclesiae *Apostolicitas?*

℟. *Apostolicitas* Ecclesiae sita est in successione legitima, et non interrupta Pastorum ab Apostolis usque ad nos provenientium; non vero in *doctrina Apostolica*, ut somniant Haeretici; siquidem quaelibet secta contendit, se veram Apostolorum doctrinam tenere.

Q. Christus voluitne, ut ea existimaretur esse Ecclesia sua, quae est modo explicato *Apostolica?*

℟. Ita voluit. Nam verae Ecclesiae Christus est fundamentum primarium. I. *Cor.* III. *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*; et Apostoli sunt *fundamentum secundarium*, unde fideles *Eph.* II. dicuntur *superaedificati super fundamentum Apostolorum*. 2. Patres quovis tempore crediderunt, et docuerunt, eam esse Christi Ecclesiam, quae ab Apostolis fundata est, et a Pastori-

ribus ab Apostolis descendentibus gubernatur. Hieronymus *contra Lucif. cap.* ultimo dicit: *In ea Ecclesia permanendum, quae ab Apostolis fundata usque ad hanc diem durat.*

Q. Hæreticorum sectæ habeantne hanc *Apostolicitatem?*

℟. Non habent. Nam si haberent, non diceretur hæc secta *Lutheranorum*, illa *Calvinistarum*, alia *Zuvinglianorum* h. e. a *Luthero*, a *Calvino*, a *Zuvinglio* fundata, qui nulli Apostolico Episcopo successerunt, sed semetipsos fundatores illarum societatum constituerunt. Idem dicas de aliis Sectis. Unde illis apposite cum Tertulliano dicere possemus: *Edant ergo originem Ecclesiarum suarum:, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis Viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habeat auctorem, et antecessorem.*

Q. Ecclesia Romana estne *Apostolica?*

℟. Apostolica est; et veritas ipso facto comprobatur. Nam si Historiam Ecclesiasticam adeas, invenies seriem Pontcifium, qui sibi mutuo successerunt in sede Romana, ab ipso Petro provenientium, et quod nulla omnino sit alia Ecclesia in orbe Catholico, quæ cum ipsa communicat, et non habuerit suum primum Pastorem a Romano Pontifice Petri Apostoli Successore. Igitur Romana Ecclesia, per totum orbem diffusa, est *Apostolica*. Unde *Augustinus lib. cont. Epist. Fundament.* Cap. IV. inquit: *Tenet me* (in ca-

 the-

tholica Ecclesia) *ab ipsa sede Petri, cui pascendas oves Christus Dominus tradidit usque ad praesentem Episcopatum successio Sacerdotum*. Atque id Hæretici nunquam potuerunt inficiari.

§. IX.

DE PROPRIETATIBUS ECCLESIÆ.

Q. Quot sunt proprietates Ecclesiæ?

℞. Tres, *Visibilitas*, *Perpetuitas*, et *Infallibilitas*.

Q. Ecclesia Christi estne *Visibilis?*

℞. Dogma fidei est, Ecclesiam Christi esse semper visibilem h.e. oculis corporeis videri posse, et discerni a falsis Hæreticorum Sectis. Nam 1. Talis pronuntiata est in veteri Testamento. *Isaiae* III. 2. *Erit in novissimis diebus praeparatus mons Domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes*. Quem montem *Hieronymus* in hunc locum dicit esse Ecclesiam. *Psal.* XVIII. *Posuit in sole tabernaculum suum* h. e. exponente Augustino *Tract.* II. in *Epist. Joan. Posuit in manifesto Ecclesiam suam*. 2. In novo Testamento Christus fratrem frustra correptum præcepit denuntiandum esse Ecclesiæ. *Matth.* VIII. 13. *Dic Ecclesiae*. Quo pacto hoc Christi præceptum posset executioni mandari, si Christi Ecclesia esset invisibilis? 3. Patres uno ore docent Ecclesiam Christi esse semper visibilem, Origenes *Hom.* XXX. in *Matth. Eccle-*

clesia, ait, *plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem*. Cyprianus *lib. De Unitat. Eccl. Ecclesia*, inquit, *Domini luce perfusa est*; *per totum orbem suos radios porrigit*:

Q. Hæretici Novatores agnoscunt Ecclesiam Christi esse semper *visibilem*?

℟. Minime. Duplicem enim distinguunt Ecclesiam; unam *invisibilem*, alteram *visibilem*. *Invisibilem* ajunt ex solis justis, et prædestinatis, ut addit Calvinus, coalescere; et hanc esse vere; et proprie Christi Ecclesiam. *Visibilem* vero justos, et peccatores, prædestinatos, et reprobos complecti fatentur, eamque autumant improprie dici Ecclesiam Christi. Quod eo consilio faciunt, ut simplicibus imponentes asserere possint, ipsorum Ecclesiam ante *Lutherum*, et *Calvinum* extitisse, sed fuisse *invisibilem*. Quæ distinctio Ecclesiæ in *Visibilem*, et in *Invisibilem* proprio cerebro conficta exploditur ex locis supra recitatis, quæ absolute pronuntiant, veram Christi Ecclesiam esse semper *visibilem*.

Q. Quo pacto dicimus in Symbolo: *Credo Sanctam Ecclesiam*, si est *visibilis*; cum id quod *creditur* non videatur?

℟. Quod hæc Ecclesia sit a Christo instituta, videtur; quod vero hæc Ecclesia a Christo instituta, vera doceat, et regatur a Sp. Sancto, objectum est fidei, et creditur. Igitur *visibilis* est quoad existentiam, *invisibilis* quoad interiores dotes.

Q. Ecclesia Christi est *perpetuo* duratura; et est de fide?

Eccle-

℞. Ecclesia Christi est *perpetuo* duratura; et est de fide. 1. *Isaias* ita eam futuram LXI. 8. prædixit, verba Dei referens: *Fœdus perpetuum feriam cum eis . . . . omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia ipsi sunt semen, cui benedixit Dominus*. Et *Michaeas*. IV. 1. et 5. *Erit in novissimo dierum mons domus Domini praeparatus in vertice montium . . . nos autem ambulabimus in nomine Domini nostri in aeternum*. 2. Christus Ecclesiam suam perpetuo duraturam pollicitus est. *Matth*. XXVIII. 20. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. 3. Patres idem constanter asseruerunt. Hieronymus in cap. VIII. *Amos*: *Ex quo intelligimus, Ecclesiam usque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus; sed nequaquam posse subverti; tentari, non superari*. Ambrosius *lib. de Salomone Cap*. IV. præclarissima usus metaphora ita scripsit de Ecclesia comparata navi: *quae etsi undarum fluctibus, et procellis saepe vexatur, numquam potest sustinere naufragium, quia in arbore ejus, idest in cruce, Christus erigitur, in puppi Pater residet gubernator, proram Paracletus servat Spiritus. Haec per angusta hujus mundi freta duodecim in portum remiges ducunt, idest duodecim Apostoli*.

Q. Hæretici admittunt Ecclesiam Christi *perpetuo* duraturam?

℞. Hæretici distinguentes, ut innuimus supra, Ecclesiam Christi in *visibilem*, et in *invisibilem* ajunt *invisibilem* Ecclesiam num-

numquam defecisse, nec umquam defecturam ; sed Ecclesiam visibilem deficere posse , et aliquando defecisse . Quod quam falsum sit facillime patet cuilibet legenti textus ex Scriptura superius allatos , qui utique de Ecclesia visibili *perpetuo* duratura loquuntur .

Q. Quomodo Ecclesia dicitur *perpetua* si fideles , qui eam componunt , possunt errare , et ita illa deficere ?

℟. Quamvis fideles, utpote homines, errare possint , tamen Deus efficiet , ut nunquam simul sumpti omnes errent , ne promissiones suae Ecclesiae factae irritae cedant .

Q. Ecclesia Christi estne *infallibilis* ?

℟. Ecclesia duobus modis considerari potest 1. ut est collectio omnium fidelium, tam Pastorum , quam subditorum . 2. prout est collectio Pastorum , et doctorum dumtaxat . Prima dicitur Ecclesia *credens* . Secunda Ecclesia *docens*. Haec rursus considerari potest vel per orbem dispersa , vel in Concilio Generali congregata . Igitur 1. Ecclesia *credens* infallibilis est in credendis *fidei* , et *morum* dogmatis ; si enim posset errare , posset etiam deficere , nec *perpetuo* durare , quod manifesto contrarium est illis , quae diximus de Ecclesiae Christi *perpetuitate* . 2. Ecclesia *docens* sive per orbem dispersa , sive in Conciliis Generalibus congregata falli non potest in docendo res *fidei* , et *morum* . Nam *fides ex auditu* , ait Apostolus *Rom.* IV. 17. Si igitur Ecclesia *docens* h. e. Pastores , et Doctores simul sumti fallerentur , falleretur etiam Ecclesia *credens* ; ac proinde Ecclesia Chsi-

Christi deficeret, nec *perpetuitate*, quam illi supra asseruimus, gauderet. Ergo Ecclesia quovis modo considerata *infallibilis* est. Præsertim vero Pastores, ad quos officium docendi spectat, falli non posse in proponendis *fidei*, et *Morum* dogmatis, cum *collective* accipiuntur, patet ex sequentibus. § 1. Christus promisit Apostolis, eorumque successoribus perpetuam Sp. Sancti *adsistentiam*, ne errarent. *Joan.* XIV. 16. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis*; et v. 26. *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis*. Quam promissionem Christum implevisse testatur Apostolus, qui I. *Tim.* III. 15. de Ecclesia Dei vivi ait, quod est *columna, et firmamentum veritatis*. Dixi supra, Pastores, cum *collective* accipiuntur falli non posse; nam unus, aut alter falli potest; nec defuerunt, qui ab Ecclesiæ doctrina aberrarunt. Sed omnes omnino in doctrinam contrariam *fidei*, et *moribus* tradendam ut conspirarent, nec factum est, nec unquam fiet.

Q. Quinam igitur agnosci debet, ut legitimus judex controversiarum *fidei*, et *morum*?

℟. Sola Ecclesia; quippe quia sola omnes habet conditiones; quae ad legitimum judicem constituendum requiruntur. Siquidem requiritur 1. ut sit *vivens*, ut possit audire, et ponderare litigantium rationes; 2. ut sit *visibilis*, alioquin ad illum non patebit accessus; 3. ut sit semper *manens*, alioquin eo deficiente, nulla erit via definiendarum litium; 4. ut sit *infalli-*

libilis; nam si falli posset, litigantes adhuc non quiescerent in ejus sententia 5. ut possit rebelles coercere. At talem esse Ecclesiam, facile evincitur. Nam quod sit *vivens*, ita ut litigantium rationes audire, ac ponderare possit, patet. Quod sit *visibilis*, *indefectibilis*, et *infallibilis* supra demonstratum est. Quod autem possit coercere rebelles, patet ex verbis Christi *Matth.* XVIII. *Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis*. Ergo sola Ecclesia est legitimus Judex controversiarum *fidei*, et *morum*; et est etiam legitimus interpres Scripturæ, et Traditionis, juxta quas regulas lites, et controversiae sunt finiendae.

Q. Ecclesia estne judex *infallibilis* in quaestionibus *facti*?

R. *Factum* triplex est, *Dogmaticum*, *Simplex*, et *Mixtum*. *Dogmaticum factum* dicitur illud, quod adeo connexum est cum dogmate, ut si factum negatur, ipsum dogma negetur necesse sit, e. g. si quis negaret Scripturam, Traditionem, et Ecclesiam docere Verbi divinitatem, hic ipsam divinitatem Verbi utique negaret. *Factum simplex* nullam omnino habet cum aliquo dogmate connexionem. *Mixtum factum* appellatur illud, quod non est ita cum aliquo dogmate colligatum, ut eo negato, dogma aliquod negaretur; sed ejus naturae est, ut si negatur, via sternatur erroribus fidei, et moribus contrariis, ex. gr. si quis sententias Lutheri damnaret, sed contenderet eas non contineri in libris Lutheri, hic certe non

im-

impugnaret aliquod dogma, sed viam erroribus contra *fidem*, *et mores* pugnantibus apertam faceret. Igitur 1. Ecclesia est *infallibilis* Judex in factis *dogmaticis* definiendis alioquin nec in ipsis rebus *fidei*, et *morum infallibilis* esset 2. in factis *simplicibus* falli potest, cum ea non pendeant a divina revelatione; sed a testimonio humano. Verum Sp. Sancti adsistentia promissa est Ecclesiae in rebus *fidei*, et *morum* proponendis, et definiendis juxta divinam revelationem, quae in S. Scriptura, et divina Traditione continetur 3. Putandum non est, Ecclesiam falli posse in definiendis factis *mixtis*, in quibus error Ecclesiae plurimum noceret fidelibus; e. g., in definiendo, utrum liber aliquis contineat errores *fidei*, et bonis *moribus* contrarios; fieri enim posset, ut pastores, quibus dictum est: *pascite*, *qui in vobis est*, *gregem Christi*, pascua noxia suis ovibus praeberent. Deinde Ecclesia omnibus sæculis hujusmodi *facta* definivit: *Quod vero universa facit Ecclesia utrum faciendum sit disputare insolentissimae insaniae est*, ait Augustinus. Putandum igitur non est, Sp. Sanctum in re tam gravi Ecclesiae suae deesse.

Q. Utrum privato liceat reluctari Ecclesiæ judicio in factis *mixtis* definiendis, eo prætextu, quod Ecclesia *absolute* loquendo in iis definiendis falli possit?

R̸. Minime. Si enim nefas est reluctari prudentis, et cordati alicujus viri consilio; si parentes, et magistri audiendi sunt, alioquin cessaret societas humana, multo magis ob-

obtemperandum est Ecclesiae Pastoribus, de quibus dictum est. Luc. X. 16. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*.

C A P. V.

De Conciliis.

Q. Quid est Concilium?

℟. Generatim loquendo definiri potest: *Congregatio Ecclesiasticorum, praesertim Episcoporum, legitima auctoritate convocata, occasione tractandarum rerum, vel ad fidem, vel ad mores, vel ad disciplinam pertinentium*.

Q. Quotuplex est Concilium?

℟. Quatruplex distinguitur, nempe *Dioecesanum*, *Provinciale*, *Nationale*, et *Generale*. *Dioecesanum* est, quod celebratur ab Episcopo cum Clero suae Dioecesis. *Provinciale*, quod celebratur ab Archiepiscopo cum Episcopis suae provinciae. *Nationale*, cui adsunt omnes Archiepiscopi, et Episcopi unius nationis, convocati a Primate, vel a Patriarcha. *Generale*, quod dicitur etiam *Oecumenicum*, et Plenarium, est congregatio Episcoporum a Summo Pontifice, ex orbe Christiano convocatorum, cui Summus Pontifex, vel per se, vel per Legatos præsidet.

Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut Concilium *Oecumenicum* sit legitimum?

℟. Tres requiruntur, legitima *convocatio*, *le-*

legitima *celebratio*, et legitimus *exitus*.

Q. Quid significat legitima *convocatio?*

℟. Duo 1. ut Concilium convocetur, vel *immediate*, vel *mediate* a Summo Pontifice, qui habet potestatem ordinariam Concilium convocandi juxta sententiam *Pelagii* II. *can. multis. Dist.* 17. *Multis Apostolicis, canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia R. Pontificis Concilia celebrari*; aut Summo Pontifice deficiente, auctoritate *extraordinaria* a Romanæ Ecclesiae Cardinalibus. Dixi vel *immediate*, vel *mediate*; quia parum refert, utrum a Romano Pontifice convocetur *immediate*, vel *mediate* h. e. ab aliis ex ejus consensu; sicut octo priora Concilia *Oecumenica* ab Imperatoribus ex Romani Pontificis consensu convocata sunt. Nam licet *auctoritas*, et *consensus* non sint idem, tamen in eo, qui habet auctoritatem aliquid faciendi, in illud consentire, est ejus auctoritate fieri. 2. ut omnes ii convocentur, qui conveniendi jus habent, nemine excepto, scilicet omnes Episcopi orbis Christiani; unde illud Concil. Chalcedonensis: *Concilium Episcoporum est: mittite foras superfluos*. Igitur Episcopi de jure convocandi sunt. Dixi *de jure*; nam ex consuetudine factum est, ut convocarentur etiam Cardinales, Generales Ordinum, et aliqui Abbates cum suffragio *decisivo* ex Pontificis privilegio, Theologi, ut *consultores*, et Principes Saeculares, ut defensores.

Q. Quid intelligitur per legitimam *Celebrationem?* R. Etiam

℟. Etiam duo intelliguntur ; 1. ut Summus Pontifex vel per se , vel per Legatos , præsideat Concilio . Cum enim Concilium Generale repraesentet totum Ecclesiae corpus, deforme esset corpus congregari sine capite h.e. Summo Pontifice. Hinc omnibus Conciliis Oecumenicis Romanus Pontifex vel per se ; vel per Legatos praefuit ; 2. ut omnes Episcopi *actu* saltem majori , et sufficienti numero conveniant ; alioquin Concilium falso sibi assereret nomen *Oecumenici* , et Generalis . Quamvis hic numerus non sit definitus , tamen tantus esse debet , ut videatur totam Ecclesiam repræsentare , sive Episcopi per se , sive per Legatos adsint .

Q. Quænam includit legitimus *exitus ?*

℟. Quatuor ; 1. ut Episcopi libertatem habeant suffragiorum ; alioquin non ex sua , sed ex cogentium sententia loquuntur ; 2. ut nemo excludatur, qui loqui voluerit , in definienda enim controversia utriusque partis litigantis rationes audiendæ sunt ; 3. ut adhibeatur diligentia in inquisitione veritatis , Hinc *Lucas Act.* XV. 7. ait : *Cum magna conquisitio fieret* ; nam Sp. Sancti adsistentia non excludit , ut prudenter se gerant membra Concilii ; 4. ut acta confirmentur a Romano Pontifice ; quod patet tum ex praxi Ecclesiae , in qua nullum Concilium , ut ratum habitum est , quod non fuerit a Summo Pontifice confirmatum , tum ex eo , quod Concilium *Oecumenicum* ideo ratum est in suis decretis , quia repraesentat Ecclesiam universam . At non repraesentaret Ecclesiam uni-

universam, si non haberet secum R. Pontificem, qui est Caput, judicantem, et confirmantem acta.

Q. Concilia *Oecumenica* suntne *infallibilia* in definiendis dogmatis *Fidei*, et *Morum*?

R. De fide est, esse infallibilia, nec errare posse in *fide*, et *moribus*. Nam Concilia *Oecumenica* legitima, sunt illa Ecclesia *docens*, de qua diximus supra, quod falli non possit in rebus *fidei*, et *morum*; alioquin etiam ipsa Ecclesia *credens* h. e. tota fidelium collectio, quae ab Ecclesia *docente* accipit definitiones, falleretur, et deficeret; quod, stantibus Christi promissionibus, impossibile est.

Q. Quo pacto respondetur Hæreticis objicientibus illud Augustini: *Plenaria Concilia priora a posterioribus emendari?*

R. Non emendantur in rebus *fidei*, et *morum*; sed in rebus *facti*, et *disciplinae*, quam mutatis temporum, locorumque circumstantiis, saepe mutari contingit. Quod si alia Concilia quaedam objiciant Novatores, quae vel in *fide*, vel in *moribus* errasse dictitant, respondendum iis est, quod si Historiam Ecclesiasticam perlegant, cognoscent profecto, ea non fuisse *legitima* ex omnibus iis conditionibus, quae supra positae sunt, h. e. vel non fuerunt legitime *convocata*, vel non fuerunt legitime *celebrata*, vel non habuerunt legitimum *exitum*.

Q. Concilium *Oecumenicum* est supra Ponti-

tificem, an Pontifex supra Concilium *Oecumenicum*?

℞. Haec quaestio inter Theologos magno animorum aestu agitata est; sed nos eam libenter omittimus, utpote magis ad contentionem, quam ad charitatem fovendam, accomodatam. Tria tamen dicimus esse extra controversiam. 1. Concilium simul cum Romano Pontifice esse solo, et seorsim considerato Romano Pontifice, praestantius. 2. Tempore schismatis ex eo orti, quod alii alium velint esse legitimum Pontificem, Concilium Oecumenicum, quod ad id schisma tollendum haberi solet, esse ipso Pontifice superius. 3. Quod in crimine haeresis Pontifici attributo, Pontifex Concilio Oecumenico subsit.

Q. Quid sentiendum de Conciliis *Nationalibus*, et *Provincialibus*?

℞. Eorum decreta 1. si spectentur secundum se, maximae sunt auctoritatis, licet non infallibilis 2. si confirmentur a Summo Pontifice, et proponantur fidelibus credenda ut dogmata *fidei*, et *morum*, quae decernuntur, sunt infallibilis auctoritatis; ex ipsa Romani Pontificis confirmatione. 3. Si venerint in totius Ecclesiae notitiam, et ut dogmata fidei ab universis fidelibus habeantur, et credantur, quae in illis decreta sunt, infallibilis evadunt auctoritatis; quo in casu Concilia illa sive Nationalia, sive Provincialia dicuntur *celebratione* Particularia, sed *acceptatione* Oecumenica.

Q.

Q. Quot usque nunc ab initio habita sunt Concilia Oecumenica?

℟. Viginti; *Nicœnum* I. *Constantinopolitanum* I. *Ephesinum*. *Chalcedonense*. *Constantinopolitanum* II. *Constantinopolitanum* III. *Nicœnum* II. *Constantinopolitanum* IV. *Lateranense* I. *Lateranense* II. *Lateranense* III. *Lateranense* IV. *Lugdunense* I. *Lugdunense* II. *Viennense*. *Constantiense*. *Basileense*. *Florentinum*. *Lateranense* V. de cujus *Oecumenicitate* dubitatur a nonnullis, et *Tridentinum*.

Q. Quibus temporibus; sub quibus Pontificibus; et quas ob caussas habita sunt hujusmodi Concilia?

℟. Per singula excurrendo.

Concilium Nicaenum I.

Habitum est anno CCCXXV. sub *Sylvestro* S. Pontifice, cujus nomine præfuerunt, ut Legati, illi Concilio *Osius* Episcopus Cordubensis, *Vitus*, et *Vincentius* Praesbyteri. Convenerunt Episcopi trecenti, octodecim. In eo 1. damnata est Hæresis Ariana, qua negabatur, Verbum esse Patri consubstantiale. 2. damnati sunt *Quartodecimani*, qui docebant, Pascha a Christianis celebrandum esse ipsa die decimaquarta lunae; qua die celebrant Judaei; et statutum est, ut semper Dominica sequenti celebraretur, ut hodie fit in Ecclesia. 3. Editi sunt viginti Canones ad disciplinam spectantes.

II.

II.

Concilium Constantinopolitanum I.

Habitum est anno CCCLXXXI. sub *Damaso* R. Pontifice. Ab initio huic Concilio praefuit *Meletius* Episcopus Antiochenus; eo mortuo successit *Gregorius Nazianzenus*. Cum *Gregorius Nazianzenus* se abdicasset Episcopatu Constantinopolitano, in quo successerat Maximo Cynico, qui sedis fuerat invasor, ac propterea postea depulsus, praefuit Timotheus Alexandrinus; donec Nectarius electus Episcopus Constantinopolitanus usque ad finem praefuit Concilio. Convenerunt Orientis Episcopi centum quinquaginta. Hoc Concilium, ut patet, propter absentiam R. Pontificis, aut legatorum ejus, et Episcoporum Occidentis, non fuit Oecumenicum. Sed cum *Damasus* Papa una cum Concilio Occidentalium probasset acta Concilii Constantinopolitani, evasit Oecumenicum. In eo 1. confirmata est fides Nicæna de Verbi *consubstantialitate* cum Patre. 2. damnatus *Macedonius*, qui Sp. Sancti divinitatem negabat. 3. Editi canones septem ad disciplinam pertinentes.

III.

Concilium Ephesinum.

Celebratum est anno CCCCXXXI. sub *Caele-*

lestino Papa. Primum praefuit Cyrillus Alexandrinus, deinde S. Pontificis Legati. Convenerunt Episcopi plusquam ducenti. Damnatus est *Nestorius* docens, in Christo duas esse personas, unam divinam, alteram humanam, et B. M. Virginem non dicendam *Teotocon*, h. e. Deiparam, sed *Christotocon*, h. e. Christiparam.

IV.

CONCILIUM CHALCEDONENSE.

Habitum est anno CCCCLI. sub *Leone Magno*. Praefuerunt S. Pontificis Legati. Adfuerunt Episcopi sexcenti, triginta sex 1. damnatus est *Eutyches* asserens, in Christo unam esse naturam. 2. editi sunt canones viginti octo.

V.

CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM II.

Celebratum est anno DXLIX. sub *Vigilio* Papa. Convenerunt Episcopi centum sexaginta circiter. 1. In eo confirmata sunt quatuor priora Concilia Oecumenica. 2. Damnata sunt opera *Theodori Mopsuesteni*, scripta *Theodoreti Cyrenensis*, et Epistola *Ibae Edesseni* ad *Marim Persam*, eo quod hujusmodi scripta visa sunt Concilio favere Nestorio. Et haec sunt tria *Capitula* adeo famosa in Historia Ecclesiastica.

VI

VI.

Concilium Constantinopolitanum III.

Habitum est anno DCLXXX. sub *Agathone* Papa. Interfuerunt Concilio Episcopi circiter ducenti, præsidentibus Summi Pontificis Legatis. Damnata est haeresis *Monothelitarum* negantium, dua esse in Christo voluntates, et operationes divinam, et humanam.

VII.

Concilium Nicænum II.

Habitum est annoDCCLXXXVII. sub *Adriano* I. Adfuerunt Episcopi trecenti quinquaginta. Damnati sunt *Iconoclastae*, qui imagines confringebant nullam eis venerationem asserentes; et imaginum cultus, qualis eis debetur, restitutus est.

VIII.

Concilium Constantinopolitanum IV.

Celebratum est anno DCCCLXIX sub *Adriano* II. Convenerunt Episcopi centum, et unus, praeter Patriarchas, praesidentibus legatis S. Pontificis. Damnatus est *Photius* sedis Constantinopolitanae invasor.

IX.

CONCILIUM LATERANENSE I.

Celebratum est Romae anno MCXXIII. sub *Callixto* III. in Basilica Lateranensi. Actum ibi est de *Investituris*, sive electionibus Episcoporum, et Abbatum, quas Imperatores, et alii Principes Sœculares faciebant per traditionem annuli, et baculi. Atque statutum est, ut deinceps libera esset Clericis, et Monachis electio Episcoporum, et Abbatum.

X.

CONCILIUM LATERANENSE II.

Habitum est Romae in Basilica Lateranensi, anno MCXXXIX. sub *Innocentio* II. Interfuerunt Episcopi, Abbates, aliique Patres circiter mille. Rescissa sunt acta *Petri* Leonis Antipapae: damnati Haeretici *Petrus de Bruis*, et *Arnoldus Brixiensis*. Editi canones disciplinae triginta.

XI.

CONCILIUM LATERANENSE III.

Habitum est Romae in Basilica Lateranensi anno MCLXXIX. sub *Alexandro* III. Convenerunt Episcopi trecenti. Damnati sunt *Al-*

Albigenses, et Valdenses. Editi canones disciplinam spectantes vigintiseptem.

XII.

Concilium Lateranense IV.

Celebratum est Romae in Basilica Lateranensi anno MCCXV. sub *Innocentio* III. Convenerunt Episcopi quadringenti duodecim, Abbates, aliique Patres plusquam octingenti. Damnati iterum *Albigenses*, et hæresis *Almarici* asserentis, unumquemque teneri fide divina credere, se esse *membrum* Christi; et liber Abbatis *Joachim* contra *Petrum Lombardum*. Canones circa disciplinam sexagintanovem conditi sunt.

XIII.

Concilium Lugdunense I.

Celebratum est Lugduni in Gallia anno MCCXLV. sub *Innocentio* IV. Interfuerunt Episcopi centum triginta, Abbates, aliique Praelati. Privatus est Imperio, et Regno Siciliae, et Apuliæ Fridericus II. plura circa disciplinam Ecclesiasticam sancita sunt decreta.

XIV.

Concilium Lugdunense II.

Habitum est anno MCCLXXIV. sub *Gre-*

 gorio

gorio X. Adfuerunt Episcopi, Abbates, aliique Patres circiter mille. Pax inita est inter Graecos, et Latinos, cantatumque est Symbolum cum particula *Filioque*; quam pacem non diu servarunt Graeci. Editi sunt canones disciplinae triginta, et unus.

XV.

Concilium Viennense.

Habitum est Viennae Allobrogum, anno MCCCXI sub *Clemente* X. Interfuerunt Episcopi circiter trecenti, Abbates, aliique Praelati. Destructus ordo *Templariorum*. Damnati *Beguardi*, et *Beguinae*. Plures circa disciplinam conditi sunt canones.

XVI.

Concilium Constantiense.

Convocatum est anno MCCCCXIV. a *Joanne* X. et duravit annis quatuor. In eo extinctum est schisma, quod, propter tres de Pontificatu contendentes, Ecclesiam Occidentalem turbaverat. Duobus exauctoratis, nempe Joanne XXIII., et Benedicto XIII., Gregorio vero XII. sponte Pontificatu se abdicante, electus est *Otho Columna*, qui postea appellatus est *Martinus* V. In eodem Concilio damnati sunt *Joannes Wiclefus*, *Joannes Hus*, et *Hieronymus Pragensis*. Sta-

Statutum, ut deinceps Laicis Eucharistia sub una tantum specie ministraretur .

XVII.

Concilium Basileense .

Indictum est primum *Papiae*, deinde Senis celebrari cœpit, demum Basileam translatum anno MCCCCXXXI. sub *Martino* V. At cum, Eugenio IV. illud primum Ferrariam, deinde Florentiam revocante, nonnulli Episcopi convenire recusaverint, et Basileæ manentes Eugenium exauctorare ausi fuerint; hinc Concilium ab initio legitimum, in exitu illegitimum evasit .

XVIII.

Concilium Florentinum.

Cœptum Ferrariæ, et absolutum est Florentiae sub *Eugenio* IV. anno MCCCCXXXVIII. In eo composita est pax Græcos inter, et Latinos, quam postea turbavit Marius Episcopus *Ephesinus*, qui in patriam reversus iterum Græcorum multos a pace abalienavit, et ad schisma antiquum reduxit .

XIX.

Concilium Lateranense V.

Habitum est Romae in Basilica Lateranen-

si anno MDXII. sub *Julio* II. Absolutum sub *Leone* X. Convenerunt Episcopi centum quatuordecim. Confirmatum est *Concordatum* inter *Franciscum* I. Gallorum Regem, *Ludovicum* successorem, et Leonem X. Abolitum schisma *Pisanum*; et multa statuta sunt circa disciplinam. Hoc Concilium non habetur ab omnibus, ut Oecumenicum.

XX.

CONCILIUM TRIDENTINUM.

Indictum a *Paulo* III. inchoatum est anno MDXLV.; deinde intermissum, a *Julio* III. restitutum est; denuo intermissum, iterum revocatum est, et absolutum sub *Pio* IV. anno MDLXIII. Variae intermissionis caussæ fuerunt pestis, et bella ingruentia. Cardinales, Archiepiscopi, et Episcopi successive advenientes erant sub *Pio* IV. fere trecenti. Habitum est praesertim contra *Lutheranos*, et *Calvinistas*, et propter Ecclesiæ reformationem.

CAP. VI.

De Patribus Ecclesiæ, et Theologis.

§. I.

Patres Ecclesiæ.

Q. Quinam censendi sunt Ecclesiæ Patres?

℟. Omnes, et soli ii, quos Ecclesia, ut tales agnovit, et venerata est.

Q. Quare dicti sunt Ecclesiae Patres?

℟. Quia fuerunt doctrinae fidei, et morum strenui Defensores contra Hæreticos, et scriptis suis innumeros veluti filios Ecclesiae acquisiverunt.

Q. Quinam est usus Patrum in Sacra Theologia?

℟. Afferuntur, ut Testes divinæ Traditionis. Hinc cum aliqua veritas demonstranda est ex Traditione, recitantur textus SS. Patrum.

Q. Quandonam auctoritas SS. Patrum est argumentum divinaé Traditionis?

℟ 1. Quando *unanimiter*, et *constanter* docuerunt, aliquid, in Sacris Litteris non scriptum, esse tenendum de fide; et contrarium, ut Hæreticum, damnarunt. Fieri enim non potest, stantibus divinis promissionibus, ut, qui positi sunt Doctores, et Magistri veritatis, omnes ad unum conspirent, ut

hæresim pro dogmate fidei obtrudant. 2. Quando Patrum consensus non est quidem *unanimis*, et *constans*, ita ut aliqui ex iis dissenserint; sed re melius discussa, postea accésserit Ecclesiae definitio.

Q. SS. Patres suntne omnes eadem existimatione digni; an alii aliis præferendi?

℟. Datur inter eos aliquod discrimen. Præferendi sunt 1. Qui in sanctorum numerum sunt relati, iis, quos Ecclesia Sanctorum albo non adscripsit. 2. Qui ex professo hæresim aliquam impugnarunt, iis, qui non ex professo ea de re cum Hæreticis decertarunt. 3. Ii, qui post exortas hæreses scripserunt praeferendi sunt illis Patribus, qui antea floruerunt.

§. II.

De Theologis.

Q. Quinam hic dicuntur Theologi?

℟. Omnes illi, qui ex rebus divinitus revelatis, vel in S. Scriptura, vel in divina Traditione, vel in Ecclesiæ definitionibus conténtis varias studuerunt elicere conclusiones de Deo, vel de rebus ad Deum pertinentibus, et earum complexionem posteris scriptam reliquerunt.

Q. Quot sunt Theologorum Classes?

℟. Quoniam, ut diximus alibi, alia est Theologia *Dogmatica*, alia *Moralis*, et utraque si pertractata est stylo fusiori, et Oratorio appellatur *Positiva*, si stylo pressiori,

siori, certa methodo, et Dialectica, *Scholastica* nuncupatur; hinc alii sunt Theologi *Dogmatici*, alii *Moralistae*, et utrique, vel *Positivi*, vel *Scholastici* juxta modum, quo de rebus Theologicis scripserunt.

Q. In dissensione Theologorum, quorum partes sunt tenendae?

℟. Non est standum majori numero, veluti certo veritatis argumento. Solent enim quandoque sola auctoritate alicujus Doctoris Theologi ita in illius verba jurare, ut rationibus non expensis, quasi avis avem, aut ovis ovem sequentes, confertum numerum componere; et solo numero partem oppositam opprimere conantur. Igitur amoto omni partium studio, ii Theologi sunt magni faciendi, qui propiores sunt Scripturæ, Traditioni, et definitionibus Ecclesiae, nam ut ille ait: *Purius ex ipso fonte petuntur aquae.*

Q. Licetne refragari communi Theologorum sententiæ?

℟. Non licet. Summæ enim esset temeritatis; cum ipsa ratio quempiam suadeat, in qualibet re magnam habendam esse fidem peritis in arte. Quod adeo visum fuit commodum Concilio *Viennensi*, ut sententiam illam, quae statuit tam adultis, quam parvulis in baptismo conferri gratiam *informantem*, et virtutes, decreverit eligendam, utpote magis *consonam dictis modernorum* Theologiae doctorum.

Q. In rebus fidei, et morum quanti facienda est constans Theologorum sententia?

℟. Tanti facienda est, ut si non hæresis

saltem hæresi proximum sit ei contradicere. Fieri enim non potest, ut Theologi constanter in aliquo dogmate convenerint, nisi illud, vel ex Scriptura, vel ex divina Traditione eruissent.

CAP. VII.

DE RATIONE NATURALI, PHILOSOPHIA, ET HISTORIA.

§. I.

DE RATIONE NATURALI.

Q. QUem locum habet in rebus Theologicis ratio naturalis?

R. 1. Cum Theologia sit scientia, *quae ex principiis divinitus revelatis suas conclusiones deducit per demonstrationem*, necessaria est ratio naturalis, ut, positis iis principiis, rite, et recte conclusiones cum iis principiis connexæ deducantur. 2. Ipsæ Conclusiones Theologicæ postquam deductae sunt ex principiis divinitus revelatis in Scriptura, et Traditione, solent confirmari ratione naturali, quæ propter materiam circa quam versatur appellari solet *ratio Theologica*. 3. Ratio naturalis maxime necessaria est ad solvendas tricas, et cavillationes Hæreticorum, quibus student simplicibus imponere, et veritates Theologicas obscurare.

Q. Debetne idem esse usus rationis natu-

ralis in Theologia, ac in aliis scientiis naturalibus?

℟. Minime. Nam Theologia innititur divina revelatione, et propterea *scientia supernaturalis* nuncupatur. Igitur ratio naturalis debet versari in Theologia, ut ancilla, non ut domina, ita ut si aliquid ratione naturali assequi nequeamus, captivandus sit *intellectus in obsequium fidei*, et existimandum, illud esse supra rationem, non contra rationem; neque temerario conatu contendendum est ratione naturali occulta Dei mysteria penetrare; siquidem *Deus superbis resistit*, et *qui scrutatur est majestatis opprimetur a gloria*.

§. II.

De Philosophia.

Q. Quare inter locos Theologicos *externos* etiam locum habet *philosophia?*

℟. Quia adprime utilis est ad illustrandas, et confirmandas Theologicas theses. Cum enim idem Deus auctor sit revelationis, et rationis naturalis, fieri non potest, ut sana philosophia a recta ratione inventa, et directa, sit contraria Theologiæ ex divina revelatione conclusiones suas deducenti. Imo philosophia tale adjumentum præbet Theologiæ, ut quandoque Patres Ecclesiæ, ad revincendos omni ex parte hæreticos etiam ad ipsa philosophiæ *placita* confugerint.

Q. Si adeo utilis est philosophia quare

Apo-

Apostolus ad *Colos.* II 8. ait: *videte, ne quis vos decipiat per philosophiam?*

℟. Apostolus hic nominat eam philosophiam, quam *Tim.* I. cap. ult. appellat *falsi nominis* h. e philosophiam fallacem, et captiosam, qua tunc temporis Hæretici utebantur ad fallendos catholicos, et eos avertendos a sana doctrina; unde subdit loco cit. *et inanem fallaciam*.

§. III.

DE HISTORIA.

Q. Cuinam usui esse potest in rebus Theologicis Historia?

℟. Valde utilis est, ut discamus, quid sit antiquum, quid novum; quæ dogmata in Conciliis fuerint statuta; qua occasione, et quibus temporibus scripserint Patres; quomodo occurrendum sit objectionibus Hæreticorum petitis ex ipsa Historia vel perperam intellecta, vel ex malitia non recte recitata. Quæ omnia, et alia, his similia adeo sunt Theologo utilia, imo necessaria, ut sine Historiæ cognitione, quis censeri non debeat dignus *Theologi* nomine.

Q. Estne quælibet Historia, tamquam vera admittenda?

℟. Minime; sed ea tantum cujus auctor habeat veri historici characteres, qui sunt tres 1. ut fuerit coævus rei, quam narrat, sive suis oculis viderit, sive a testibus fide dignis acceperit. 2. ut in aliis rebus non sit de-

deceptus, semperque veritatis ingenuus assertor deprehensus sit : 3. ut partium studio non fuerit abreptus, nec ipsius interfuerit, utrum res illo, an alio modo contigerit,

Q. Quodnam veritatis argumentum Theologo praebet Historia ?

℞. Si res gesta a pluribus, et fide dignis Historicis enarretur, praebet argumentum *probabile* ; si vero ab omnibus, et fide dignis Historicis referatur, certum est argumentum ad stabiliendas Theologiae veritates.

F I N I S.

TRA-

TRACTATUS

De Deo.

CAP. I.

De Existentia, Essentia, et Unitate Dei.

§. I.

De Existentia Dei.

Q. Quid est Deus?

℞ *Deus ineffabilis est*, ait Augustinus in *Psal.* LXXXV. *Facilius dicimus, quid non sit, quam quid sit.* Verum ita describi posset: *Ens infinitum quo aliud majus, et melius cogitari nequit, omnem imperfectionem excludens, et omnem perfectionem infinitam, et infinito modo complectens, cunctarum rerum, quae existunt, prima caussa.*

Q. Existitne hujusmodi Ens, nempe Deus?

℞. De fide est existere; nulla quippe est Scripturae pagina, in qua non praedicatur Deus; et indicantur ea, quae demonstrant Dei existentiam. *Psal.* XVIII. *Cœli enarrant gloriam Dei. Job* XII. *Interroga jumenta, et docebunt te.*

Q. Existentia Dei potest demonstrari ratione naturali.

℞. Potest; innuente ipsa Scriptura. Apostolus *Rom.* I. 10. *Invisibilia Dei a creatura*

tura Mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur. Unde Philosophi demonstrant Dei existentiam argumentis *Metaphysicis*, *Physicis*, et *Moralibus*; h. e. 1. ex natura Entium *contingentium*, quae non possent existere sine Deo; siquidem entia *contingentia* sunt effectus, ac proinde supponunt existentiam caussae, sive entis *necessarii*, quod est Deus; 2. ex contemplatione Mundi aspectabilis, ejusque dispositione, et structura, cujus non potuit esse alia caussa, nisi Deus; unde inquit *Cicero* lib. II. *de Nat. Deorum*: *Quid enim esse potest tam apertum, tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod Numen praestantissimae mentis, a quo haec regantur?* 4. et ex consensu omnium gentium, quarum vox *putanda est vox naturae*, ut ait idem *Cicero*.

Q. Existentia Dei estne objectum fidei?

℟. In iis, qui ignorant, quo pacto demonstretur, ut sunt rustici, est objectum fidei. In iis vero, qui Dei existentiam evidenter per demonstrationem cognoscunt, non est objectum fidei; nam *Fides est argumentum non apparentium*. Nec inde sequitur, majus meritum habere rusticos, quam Philosophos catholicos; nam Philosophi catholici eo animo sunt dispositi, ut si nescirent, quomodo Dei existentia naturaliter demonstretur, adhuc Dei existentiam, quemadmodum rustici, fide divina crederent.

Q. Dei existentia potestne invincibiliter ignorari?

℟. Dei

Q. Quaenam est essentia *Physica* Dei?

℞. Ignota est; nam impossibile est menti creatae cognoscere omnia omnino attributa Dei propria, juxta illud *Isaiae* XLV. 15. *Vere tu es Deus absconditus*; et *Jerem.* XXX. 19. dicitur *Deus incomprehensibilis cogitatu*. Unde Patres, praesertim *Gregorius Nazianzenus*, et *Basilius* scripserunt contra *Eunomium*, qui stulte jactabat, teste *Theodoreto*, se novisse Deum, ut Deus noscit seipsum.

Q. Quaenam est essentia *Metaphysica* Dei?

℞. Magna quaestio agitata est inter *Scholasticos* de hac essentia, h. e quodnam sit illud Dei attributum, quod possit concipi veluti primum omnium attributorum Dei, quae novimus, vel revelatione, vel naturali demonstratione; quam controversiam, utpote nullius utilitatis, omittimus, illud tantum asserentes videri nobis probatiorem eorum sententiam, qui eam statuunt in eo, quod Deus sit *ens a se*; siquidem Deus interrogatus a Moyse, quodnam ejus nomen esset, respondit: *Ego sum, qui sum*.

Q. Quaenam est essentia *Logica* Dei?

℞. Non datur in Deo hujusmodi essentia; Nam Deus sub nullo *genere* est ita, ut dici possit, ipsum constare ex *Genere*, et *Differentia*. Unde *Clemens Alex. Lib.* V. *Strom.* ait: *Quomodo ineffabilis non esset, qui genus non est, neque differentia?* Et re quidem vera *genus* consideratur ut *potentia*, *differentia* vero ut *actus*. At in Deo nulla

Physicum, et *Morale*. *Metaphysicum* est ipsa creaturae limitatio. *Physicum* est dolor animae, vel corporis. *Morale* est peccatum. Malum *Metaphysicum* est essentiale creaturae; nam creatura non potest esse, nisi limitata. Malum *Physicum* in seipso spectatum bonum est creaturae; nam vel punit in hoc Mundo ipsius peccata, vel eam avertit ab amore rerum terrenarum. Malum *Morale* est ab ipsa creatura, quae utpotè finita, et libera legem Dei transgreditur.

Q. Cur Deus non aufert omnia omnino mala *moralia*, cum posset auferre per gratiam suam omnipotentem, absque liberi arbitrii laesione?

℟. 1. Deus, qui I. *Tim*. II. *vult omnes homines salvos fieri* . . . . *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*, quovis tempore vel dedit, vel praeparavit hominibus auxilia, quibus peccata vitare possunt, si velint. Culpa igitur ipsorum est, quod tot malis *moralibus* complicantur. 2. Deus posset avertere per gratias *efficaces*, sive omnipotentes omnia omnino mala moralia, sed non aufert. 1. quia judicia ejus omnem humanam rationem excedentia sunt adoranda, non investiganda. 2. quia, ut ait *Aug*. *Ench*. cap. II. *Deus omnipotens nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, et bonus, ut benefaceret etiam de malis*. Ergo si Deus non aufert omnia omnino mala *moralia* ab hoc Mundo, facit ob bonum ipsius creaturae. Haec autem bona, quae

Deus

Deus a Malis eruit, nonnulla videmus, sicut fortitudinem, et victorias Martyrum ex persecutione Tyrannorum; alia videbimus in caelesti patria.

CAP. II.

DE ATTRIBUTIS DEI GENERATIM.

§ I.

DE DIVISIONE ATTRIBUTORUM DEI.

Q. Quomodo dividuntur attributa Dei?

℟. Attributa Dei dividuntur 1. in *Negativa*, et *Positiva*. Attributa *negativa* sunt, quae a Deo removent aliquam imperfectionem; ex. gr. *immensitas*, *immutabilitas*, nempe, sine mensura, sine mutatione. Attributa *positiva* aliquam infinitam perfectionem Deo tribuunt; ex. gr *justitia*, *sapientia*. 2. Attributa *positiva* dividuntur in *absoluta*, et *relativa*. Attributa *absoluta* sunt, quæ pertinent ad ipsam naturam divinam sine *relatione* ad aliud, et communia sunt tribus personis, ut *omnipotentia*, *sapientia*. Attributa *relativa* dicuntur, quæ habent *relationem* ad aliud; ex: gr: *Paternitas*, quae habet *relationem* ad *Filiationem*, vel *providentia*, quae respectum habet ad creaturas. 3. Attributa *relativa* dividuntur in attributa ad *intra*, et attributa ad *extra*. Attributa *relativa* ad *intra* appellantur ea, qui-

quibus divinae personae intra ipsam divinam naturam referuntur ad invicem, qualia sunt *Paternitas*, *Filiatio*, et *Spiratio*. Attributa relativa ad *extra* sunt ea, quibus Deus refertur ad creaturam, seu potius creatura ipsa refertur ad Deum, ex. gr. *Dominium*.

§. II.

De Distinctione Attributorum Dei.

Q. Quotuplex est *distinctio*?

℞. *Distinctio* generatim triplex est: *Realis*, *Virtualis*, et *Rationis*. *Realis* est illa, quae intercedit inter rem, et rem: ex. gr. inter animam, et corpus. *Virtualis* est illa, qua una, eademque res propter virtutem, quam habet producendi diversos effectus, distingui solet a mente hominis in plura; ex. gr. una, et eadem anima, quatenus intelligit, dicitur *intellectus*, quatenus vult, appellatur *voluntas*. Distinctio *Rationis* nuncupatur illa, quae fit a mente hominis absque ullo fundamento; ut si quis distingueret inter *vestimentum*, et *indumentum*.

Q. Attributa Dei distinguuunturne distinctione *reali*?

℞. Exceptis attributis relativis *Paternitate*, *Filiatione*, et *Spiratione*, quae in *Tractatu* de *Trinitate* dicemus *realiter* distingui, de fide est, nullam in Deo dari distinctionem *realem*. Nam Deus est Ens maxime simplex, et appellatur in Scripturis ipsa sapientia. *Prov.* VIII. 12. *Ego sapien-*

tia habito in consilio; appellatur ipsa veritas. *Joan.* XIV. 1. *Ego sum veritas*. Quae propositiones essent falsae, si in Deo daretur distinctio *realis*. Sic nunquam corpus dicitur anima, nec anima appellari potest corpus; quia inter se *realiter* distinguuntur. Idem omni aevo docuerunt Patres. Unde merito error contrarius damnatus est in Conciliis *Rhemensi*, *Lateranensi* IV. et *Florentino*, ubi definitum est in Deo *omnia esse unum*, *et idem*, *ubi non obviat relationis oppositio*, qualis est ex. gr. inter *Patrem*, et *Filium*.

Q. Attributa Dei distinguunturne distinctione *virtuali*?

℞. Distinguuntur distinctione *virtuali*; nam licet in Deo omnia sint unum, et idem; tamen alius est effectus *justitiae*, alius effectus *misericordiae*; misericordia enim parcit, justitia punit. Ergo *virtualiter* distinguuntur.

Q. Attributa Dei distinguunturne distinctione *rationis*?

℞. Haec distinctio chimerica est, utpote sine fundamento, nec in ulla re locum habet. Ergo ne quidem in Deo.

CAP.

C A P. III.

De Attributis Dei negativis.

§. I.

De simplicitate Dei.

Q. Quid est *simplicitas* Dei?

℟. Est attributum, quo Deus caret partibus; ita ut neque corpus sit, neque corpori ulli conjunctus, quemadmodum anima humana unitur corpori.

Q. Deus estne hoc modo *simplex?*

℟. De fide est, Deum esse *simplicem*, h. e. neque esse corpus, neque corpori ulli conjunctum. *Joan.* V. 24. *Spiritus est Deus, et eos, qui eum adorant, in spiritu, et veritate oportet adorare.* Idem patet ex Patribus. In re manifesta sufficiat Augustinus *lib.* XII. *de Trin. cap. I. Turpiter vana cogitatio est, quae opinatur, Deum membrorum corporalium lineamentis definiri, atque circumscribi.* Accedit ratio, quae evincit Deum neque corpus esse, neque corpori conjunctum. Nam Deus est ens, quo nullum melius cogitari potest; at si esset vel corpus, vel corpori conjunctus daretur ens ipso melius, nempe illud, quod omni omnino compositione careret.

Q. Si Deus est *simplex* modo explicato, cur Scriptura tribuit ipsi membra?

 ℟. Mem-

℟. Membra Deo attributa, intelligenda sunt per *metaphoram*, ad exprimendas proprietates, et virtutes Dei. Sic ex: gr: per oculos intelligitur *scientia*; per brachia *omnipotentia* indicatur.

Q. Si Deus est *simplex*, cur homo, qui constat anima, et corpore dicitur factus ad *imaginem Dei*?

℟. Dicitur factus *ad imaginem Dei*, quoad animam, non vero quoad corpus; vel quia anima hominis est spiritus, ut Deus; vel quia in tribus animæ potentiis, intellectu, voluntate, et memoria SS. Trinitas adumbratur.

§. II.

De Infinitate Dei.

Q. Quid est *infinitas* Dei?

℟. Est illud attributum, quo Deus non habet fines, sive limites suæ essentiæ.

Q. Deus estne *infinitus* quoad essentiam?

℟. Dogma fidei est, Deum esse *infinitum* quoad essentiam. *Psal.* CXLIV. *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. Baruch III. 25. Magnus est, et non habet finem.* Patres idem docuerunt. *Augustinus* in *Psalm.* CXLIV. ait: *Ipse non finitur: illius magnitudo sine fine est.* Reliquos omittimus in re clarissima; nam si Deus non esset infinitus secundum essentiam, non esset ens, quo melius cogitari nequit; siquidem possibile esset ipso melius

aliud

aliud ens, nempe illud, cujus essentia foret infinita.

Q. Ex quo Deus est infinitus secundum essentiam, sequiturne hoc Universum non distingui a Deo, vel esse ipsum Deum, ut ait *Spinoza*?

℟. Minime. Imo sequitur contrarium, cum essentia hujusce Universi sit finita, Dei vero essentia sit infinita; utriusque enim proprietates infinito distant intervallo.

§. III.

De Immutabilitate Dei.

Q. Quid est *immutabilitas* Dei?

℟. Est illud attributum, quo Deus non potest ullam perfectionem amittere, neque novam acquirere; sed semper idem est, qualis fuit ab æternitate.

Q. Deus estne immutabilis?

℟. De fide est, esse immutabilem. Nam *Malach.* III. 1. *Ego Dominus*, inquit Deus, *et non mutor*. *Psal.* CI. *Tu autem idem ipse es*: *Sap.* VII. 27. *Cum sit una* (sapientia h. e. Deus) *omnia potest*, *et in se permanens*, *omnia innovat*. Unde *Ambrosius lib.* I. *de fide cap.* 9. scribit. *Eos, qui dicunt mutabilem*, *aut convertibilem Filium Dei*, *eos anathematizat Catholica*, *et Apostolica Ecclesia*. Et re quidem vera; Deus est ens perfectissimum, et si esset mutabilis, esset imperfectus, nempe vel foret imperfectus, postquam perfectionem aliquam amitteret, vel erat imperfectus, antequam novam perfectionem acquireret.

Q. Deus estne mutatus in Mundi creatione?

R. Minime; omnis enim mutatio contigit respectu Mundi, non vero respectu Dei. Nam Deus ab æterno immutabili decreto statuit Mundum in tempore creare. Qua peracta creatione advenit Deo nova extrinseca denominatio *Creatoris*, nullam ipsi novam perfectionem adjiciens. Igitur non est mutata voluntas Dei in Mundi creatione, sed effectu impleta. *Augustinus lib. XIII. de Civ. cap.* 19. *Deus ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibet consilium.*

Q. Si Deus est immutabilis, cur in Scripturis dicitur, eum aliquando poenitere alicujus facti; odisse peccatorem, quem cum esset justus, antea diligebat; et mutasse decretum subversionis *Ninives*, et mortis *Ezechiae?*

R. Cum legitur in Scripturis, Deum aliquando facti alicujus poenituisse, ut cum dixit: *poenitet me fecisse hominem*; id intelligendum est per *methaphoram*, nempe in quibusdam circumstantiis se gessisse in effectu aliquo, ut solent se gerere homines pœnitentia ducti. Quoad odium vero peccatorum, quos Deus odio habet, et quos antea, utpote justos, diligebat, sciendum est, duas esse hominum classes, nempe justorum, quos Deus amore prosequitur, et peccatorum, quos odio. Si homo per peccatum a justitia excidit; ipse mutatur, quia ab una classe in aliam transit; non vero Deus, qui immutabiliter diligit justos, et odio habet peccatores. Denique decreta subversionis *Nini-*

nives, et mortis *Ezechiae* fuerunt *conditionata*, nempe nisi *Ninivitae* pœnitentiam egissent, et *Ezechias* orasset.

§. IV.

De Æternitate Dei.

Q. Quid est *aeternitas* Dei?

℞. Est illud attributum, quo Deus caret principio, et fine, nec in eo ulli datur successio temporis praeteriti, et futuri, quod est proprium rerum creatarum, ita ut melius dicatur Deus nunquam *defuisse*, quam semper *fuisse*; nunquam *defuturus*, quam semper *futurus*. Unde Augustinus in *Psal.* LXI. *In aeternitate, nec praeteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, sed non est, nisi Est.*

Q. Deus estne aeternus modo explicato?

℞. Dogma fidei est, Deum esse aeternum aeternitate proprie dicta. *Deuter.* XXXII. 10. *Vivo ego in aeternum.* *Psal.* CI. *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Et *Prosper*: *Vera aeternitas*, inquit, *Dei est . . . . . quoniam ex nulla specie motuve mutatur, nec temporalis est voluntatis*. Accedit quoque ratio Theologica. Nam 1. Deus est *ens a se*; ergo caret principio, alioquin si principium habuisset, extitisset ab alio. 2. Est ens immutabile; ergo neque finem habere potest, neque successionem temporis, alioquin mutaretur. Igitur est æternus. Quod ita cognoverunt ipsi Gen-

℟. De fide est, Deum esse ubique per *substantiam*, per *potentiam*, per *praesentiam*. *Job.* XI. 7. dicitur *Deus excelsior cœlo, profundior inferno, longior terra, latior mari*. *Jer.* XXII. 24. *Nunquid non coelum, et terram ego impleo, dicit Dominus?* *Act.* XVII. 27. *In ipso vivimus; movemur, et sumus*. Idem Ecclesiae *Patres* constanter, et uno ore docuerunt. Sufficiat Augustinus *Lib.* VII. *de Genes. ad litter. cap.* 26. *Deus est extra omnia non exclusus, intra omnia non inclusus, super omnia non elatus, subter omnia non depressus, interior omni rei, quia in ipso sunt omnia, exterior omni rei, quia ipse est super omnia*. Et revera, Deus ubique operatur conservando per *actionem positivam* res creatas. Atqui operatio Dei non distinguitur ab ejus substantia. Ergo Deus ubique est per *substantiam*, ac proinde per *praesentiam*, et *potentiam*.

Q. Si Deus est immensus cur dicitur habitare in justis, et in Templo?

℟. Quia ibi habitat modo *specialiori*, h. e. clariora præbens suæ præsentiæ testimonia, in justis scilicet producendo gratiam sanctificantem, et in Templo exaudiendo orantium preces.

Q. Si Deus est ubique per *substantiam*, quo pacto non maculatur in locis immundis, et obscænis?

℟. Non maculatur; quia spiritus est; maculari autem proprium est corporum.

Q. Deus estne in spatiis *imaginariis*,

quae a nostra mente finguntur extra Universum?

℟. Cum ea spatia a *parte rei* non existant Deus in illis non existit; neque sequitur, Deum non esse immensum; nam immensitas non in eo sita est, quod Deus *actu* repleat loca, quae non existunt, sed quod posset replere, si existerent. Nisi dicere velimus, Deum existere in spatiis *imaginariis*, h. e. in mente nostra, ubi ea spatia imaginamur. Quod si ea spatia revera existunt, dicimus Deum ipsis praesentem esse.

§. VI.

De invisibilitate, et Visibilitate Dei.

Q. Quid est *invisibilitas*, et *visibilitas* Dei?

℟. Est illud attributum, per quod Deus aliquibus modis videri non potest, juxta illud. I. *Tim.* I. 17. *Regi saeculorum immortali, et invisibili*; et aliquibus modis videri potest, secundum illud. *Matth.* V. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*.

Q. Quibus modis Deus videri non potest?

℟. 1. Videri non potest oculis corporeis, quo modo intelligenda sunt ex communi Patrum interpretatione illa verba I. *Tim.* VI. 16. *Quem nullus hominum vidit, nec videre potest*. Unde Cyrillus Hieros. *cath.* IX. *Carnis*, ait, *quidem oculis cernere Deum impossibile est; quod enim incorporeum est* sub

sub carnis oculos cadere non potest. Quod præbet etiam rationem, cur oculis corporeis videri non possit; nimirum quia incorporeus est. 2. Videri non potest ab intellectu *naturaliter*, scilicet per solas naturæ vires absque supernaturali auxilio. Nam I. *Tim.* VI. 16. *Deus lucem habitat inaccessibilem*. Et clara Dei visio, in qua sita est vita aeterna, adscribitur Dei auxilio. *Rom.* VI. 2. *Gratia Dei vita aeterna*. Quod patet etiam ex eo, quia intellectus est finitus; et Deus est infinitus. Ergo intellectus non potest *naturaliter* Deum videre. 3. Videri non potest ab intellectu neque *naturaliter*, neque *supernaturaliter* eo modo, quo Deus videt, et cognoscit seipsum, quæ visio in scholis dicitur *comprehensio*. *Job.* XI. 17. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum omnipotentem reperies? Rom.* XI. 33. *Incomprehensibilia sunt judicia ejus*. Unde Augustinus *serm.* XXXVIII. *de verb. Dom. Quid mirum, ait, si non comprehendis? Si enim comprehendis, non est Deus*. Et quidem *comprehensio* Dei est actus infinitus, cujus intellectus creatus capax non est.

Q. Quibus modis Deus videri potest.

R. Uno modo Deus videri potest ab intellectu creato, nempe *supernaturaliter* h. e. per auxilium Dei supernaturale, quod dicitur *lumen gloriae*. *Matth.* V. 8. ait Christus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Et I. *Joan* XII. 3. *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cum appa-*

ruerit, *similes ei erimus*; *quoniam videbimus eum sicuti est*. Irenæus *lib.* IV. *cap.* 20. *Homines*, inquit, *videbunt Deum*, *et vivent per visionem*. Unde Concilium Florentinum in *Decreto unionis* definivit, *animas piorum intueri clare ipsum Deum trinum*, *et unum*. Dixi; per auxilium Dei supernaturale, quod dicitur lumen gloriae; nam appellatur *lumen*, quia Deum intellectui creato manifestat; nominatur *gloriae*, quia in illa visione, et lumine sita est *gloria* Beatorum. Hinc in *Psal.* XXXV. legitur. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae*; *et torrente voluptatis tuae potabis eos*, *quoniam apud te est fons vitae*, *et in lumine tuo videbimus lumen*. Quid sit lumen gloriæ magna contentione quæsiverunt *Scholastici*, quæ controversia cum ex Scriptura, et Traditione definiri nequeat, libenter a nobis omittitur.

Q. Viditne Deum ullus hominum in hac vita?

R. Disputatur, utrum aliquis viderit Deum in hac vita, præter Christum, qui a primo conceptionis momento in animæ superiori parte fuit beatus. Qui affirmant, præsertim *Moysen*, et *Paulum* hac visione donatos fuisse contendunt; sed nobis videtur verisimilior sententia opposita; utpote Patribus, et Theologis magis arridens. Et re quidem vera ipse *Moyses Deuter.* XXXIII. 20. scripsit, *non* (ait Deus) *videbit me homo*, *et vivet* Et Paulus postquam raptus fuerat in Paradisum scripsit ad *Tim.* Epist. I. VI. 16. *Quem nullus hominum vidit*. Quæ igitur ab ipsis vi-

videbantur, *erant similitudines claritatis Domini*, ut ait Irenæus *Lib.* IV. *contra haeres. cap.* 20.

Q. Deus videturne ab animabus sanctorum, statim ac e vita migraverint?

℞. Si omnem exsolverint temporalem pœnam, nec ullæ in iis veniales maculæ supersint eluendæ, de fide est, statim ad beatam visionem admitti. Nam Apostolus II. *Cor.* V. 1. et seq. *Scimus*, inquit, *quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam, aeternam in Cœlis . . . . . audemus autem, et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum*. Quo loco nihil clarius; non enim Apostolus hortaretur fideles, ut læti oppeterent mortem pro Christo, nisi statim a morte beatam vitam adipiscerentur. Posset insuper hæc veritas ostendi ex perpetua Ecclesiæ *Traditione* afferendo auctoritatem Patrum omnium sæculorum, ut solent alii Theologi, qui fusius hac de re disseruerunt; sed sufficit hic adducere definitionem Concilii Florentini, quod in *Decreto unionis* asseruit animas purgatas *in Cœlum mox recipi, et intueri Deum unum, et trinum, sicuti est*. Quod antea definiverat Innocentius III. *Cap. Apostolicam*; et *Benedictus* XII. *Extravag. Benedictus Deus*. Denique ut definitum habuit Concilium Tridentinum *sess.* XXV. agens de invocatione sanctorum cum Christo regnantium.

Q. Si animæ piorum statim a morte ad beatam visionem admittuntur, dummodo sint omnino purgatæ, quid sentiendum est de regno Christi *millenario ?*

℟. Regnum mille annorum post resurrectionem, quod *Cerinthus* infamis, aliique docuerunt esse traducendum a Sanctis cum Christo inter epulas, et libidines; et in quo *Papias* Hieropolitanus, et alii multi asseruerunt, solas delicias licitas locum habituras esse, est omnino fictitium. 1. quia *regnum Dei non est esca, et potus. Rom.* XIV. 17. et *in resurrectione, neque nubent, neque nubentur. Matth.* II. 20. quod valet contra *Cerinthum*. 2. *Joan.* XVIII. 16. ait Christus: *Regnum meum non est de hoc Mundo. Luc.* I. 33. *et Regni ejus non erit finis*. Ergo post resurrectionem per totam æternitatem ibi sancti regnare non cessabunt, ubi eorum animæ purgatæ regnare incæperunt h. e. in Cœlo. Quod facit contra alterius classis *millenarios*.

Q. Si regnum Dei non est *esca*, et *potus*, quare in scripturis promittitur sanctis *manducare*, *bibere*, ac *saturari* in *regno Dei ?*

℟. Hæc omnia intelligenda sunt per *metaphoram*, ad explicandum gaudium, quo inebriabuntur sancti in illa cœlesti patria.

Q. Quænam sunt ea, quæ Beati vident in Deo ?

℟. Plura 1. Vident Dei essentiam, et attributa tam *absoluta*, quam *relativa*, et hoc est *objectum primarium* beatæ visionis. 2. Vident in Deo creaturas, quarum cognitio pertinet

tinet ad perfectam eorum beatitudinem; nam beatitudo est *status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Unde Gregorius M. *Lib.* XII. *Mor.*, *cap.* 17. ait sanctos in *coelis videre, et diligere fratres in terris peregrinantes, et de eorum salute esse sollicitos*. Imo vident in Deo preces hominum factas vel ore, vel corde: *maxime enim decet eorum excellentiam, ut cognoscant petitiones ad eas factas vel voce, vel corde*, inquit *S. Thomas* 2. 2. q. LXXXII. *art.* 10. 3. Denique vident sese invicem, sine qua reciproca cognitione nulla esset sanctorum societas. Et hæc omnia dicuntur *secundarium* visionis beatae *objectum*.

Q. Beati videntne in Deo omnes creaturas possibiles?

℟. Minime; id enim esset *comprehendere* Dei omnipotentiam, h. e. omne id, ad quod se extendit potentia Dei; quod diximus supra esse tam *naturaliter*, quam *supernaturaliter* intellectui creato impossibile.

Q. Beati videntne in Deo decreta de futuris liberis?

℟. Non vident, nisi quae Deus ipsis revelat, et non alia. Nam licet hæc sint unum, et idem cum essentia Dei; tamen a Deo libere diriguntur ad hos, vel illos effectus, quos Deus pro arbitrio suo vel abscondit, vel manifestat. Unde *Matth.* XXIV. 3. *Angeli* dicuntur nescire judicii diem.

Q. Beati videntne *aequaliter* Deum?

℟. De fide est, beatam visionem non esse in omnibus aequalem, sed alium alio per-

perfectius Deum videre. I. Cor. XV. 41. *Alia claritas solis, alia claritas lunae, alia claritas stellarum; stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum.* Quae verba quamvis dicta sint de diversitate gloriae corporis resurgentis, intelligenda tamen sunt etiam de gloria animae, nam illa ab ista profluit. Joan. XIV. 2. *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* Idem definit Concilium Florentinum *sess. ultima* dicens: *Beatos intueri Deum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius*; et contrarium errorem duobus libris contra *Jovinianum* confutavit *Hieronymus*, et in Protestantibus renatum damnavit Concilium Tridentinum.

Q. Quid est, quod efficit hanc inaequalitatem visionis beatae?

℞. Caussa *moralis* est inaequalitas meritorum; caussa vero *physica* est inaequalitas *luminis* gloriae.

CAP.

C A P. IV.

De Attributis Dei Positivis.

§ I.

De perfectione Dei.

Q. Quid est *perfectio* Dei?

℟. Omnis proprietas, quae Deo inest, dicitur perfectio Dei. Sed hic *perfectio* Dei significat complexionem omnium perfectionum, ob quam Deus dicitur, et est *absolute perfectus*.

Q. Deus estne *absolute perfectus*?

℟. De fide est, Deum esse *absolute perfectum*. Rom. II. 36. *Ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia*. Neque enim Deus esset ens, quo majus, et perfectius cogitari nequit, si non haberet omnes omnino perfectiones. Unde Augustinus *Tract.* XIV. in *Joan. Deus*, ait, *nec crescit, nec minuitur; si enim crescit, perfectus non est, si minuitur, Deus non est*.

Q. Suntne in Deo omnes creaturarum perfectiones?

℟. Sunt omnes, et quidem infinito modo; sed non eadem ratione. Nam perfectiones aliæ sunt *simpliciter simplices*, aliæ tantum *simplices*. Primæ sunt illæ, quæ in suo conceptu nullam involvunt imperfectionem, nec repugnat esse simul in eodem sub-

subjecto, ut *sapientia*, *sanctitas*. Alterae sunt, quae vel aliquam imperfectionem involvunt, ut *extensio*, *motus*; vel pugnant cum æquali perfectione, sicut *Filiatio*, et *Paternitas* respectu ejusdem in eodem subjecto. Igitur perfectiones *simpliciter simplices* creaturarum continentur in Deo *formaliter*, h. e. secundam propriam formam, sive naturam; perfectiones tantum *simplices*, quae involvunt aliquam imperfectionem continentur in Deo *eminenter*, et *virtualiter*, h. e. nobiliori modo, quam sunt in creaturis, ut domus est in mente artificis, et ut effectus est in caussa, nempe fructus in sole, qui cum calore suo producit; perfectiones vero *simplices*, quæ pugnant cum aequali perfectione, quales sunt nominatæ *Paternitas*, *Filiatio*, quo pacto in Deo contineantur, dicetur in *Tractatu* de *Trinitate*. Omnes igitur creaturarum perfectiones sunt in Deo. Unde Augustinus in *Psal.* LIX. *Quid enim*, ait, *cum illo non est? Cum illo ager, cum illo species terrae, cum illo species Cali, cum illo omnia volatilia, quia ipse omnia.*

Q. Deus cum creaturis estne perfectior Deo seorsim considerato?

R. Neque *intensive*, neque *extensive* perfectior est. Non *intensive*; nam etiamsi Deus seorsim consideretur; continet omnes creaturarum perfectiones vel *formaliter*, vel *eminenter*, et *virtualiter*. Non *extensive*; nam *finitum* additum infinito in quo *eminenter*, vel *virtualiter* continetur, non facit majorem extensionem infiniti, siquidem major,

jor, vel minor extensio est proprietas quantitatum finitarum, non vero entis *absolute* infiniti. Ergo *extensive* idem est Deus seorsim, ac Deus simul cum creaturis.

§. II.

De Bonitate, ac Sanctitate Dei.

Q. Quid est *Bonitas*, ac *Sanctitas* Dei?

℟. Est summa Dei adhæsio summo bono, hoc est sibi ipsi, a quo non potest recedere, et in malum morale incidere, h. e. peccare.

Q. Deus estne hoc modo *bonus*, ac *sanctus*?

℟. De fide est, Deum esse *bonum*, ac *sanctum*, h. e. infinite diligere summum bonum, nempe seipsum; nec operari, nisi bonum, et propter bonum, scilicet semetipsum. I. *Reg*. II. 2. *Non est sanctus, ut est Dominus*; creatura enim utcumque sancta non habet sanctitatem nisi derivatam ab illa infinita, et essentiali sanctitate, quæ Dei solius propria est. *Is*. VI. 3. Angeli assidue clamant: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, h. e. juxta phrasim Hebraicam *sanctissimus*, nempe Deus. Denique finis operationum Dei est sanctus, nimirum ipse Deus. *Prov*. XVI. 4, *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*. Ergo Deus est infinite *bonus*, et *sanctus*.

Q. Qua alia ratione considerari potest Dei *bonitas*?

℟. Cum

℟. Cum bonitas alia sit *absoluta*, nempe proprietatum complexio, quæ necessaria est ad ens aliquod constituendum; alia *relativa*, qua Ens aliquod virtutem habet alia perficiendi, et perficiat; dicimus Deum esse bonum bonitate *absoluta*, quod ostendimus, ubi de *perfectione* Dei sermo fuit, et esse bonum bonitate *relativa*, quia quidquid perfectionis habet quodcumque Ens creatum, a Deo in illud proficiscitur, et derivatur.

Q. Estne solus Deus bonus per *essentiam?*

℟. Si esse *bonum* per *essentiam* significat illud, cui bonitas est *essentialis*, patet solum Deum esse hoc modo *bonum*. Unde Christus *Luc.* XVIII. 19. ait: *Nemo bonus nisi solus Deus*. Si vero accipiatur pro eo, cui nihil deest ex attributis *essentialibus*, omne ens est *bonum*; hinc *Ontologia* bonitatem hoc modo acceptam recepset inter cujuslibet entis proprietates.

§ III.

DE OMNIPOTENTIA DEI.

Q. Quid est *omnipotentia* Dei?

℟. Est absoluta potestas, quam habet Deus, faciendi quidquid ei placet.

Q. Deus est *Omnipotens?*

℟. Dogma fidei est, Deum esse omnipotentem. *Genes.* XVII. 1. ait Dominus: *Ego Deus omnipotens*. *Matth.* XIX. 26. *Apud Deum omnia sunt possibilia*. Et sæpius in Scripturis commendatur Dei omnipotentia.

Ac-

Accedit quoque ratio Theologica; nam si Deus non posset facere quidquid ei placet; id esset vel quia ipsi virtus deesset, vel quia ab alio impediretur. At utrumque falsum est; Deus enim est infinitus in omni genere perfectionis, nec ullus ei potest resistere. *Rom.* IX. 19, *voluntati ejus quis resistit?* Quod adeo cognoverunt Gentiles Philosophi, ut Augustinus *serm.* CXXXIX. *de Temp.* scripserit: *Non dico da mihi Christianum, da mihi Judaeum, sed da mihi paganum idolorum cultorem, daemonum servum, qui non dicat Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest; negare Deum omnipotentem non potest.*

Q. Si Deus est omnipotens, quare non potest peccare, et efficere *contradictoria?*

℞. 1. Peccatum non est *effectus* sed *defectus*. Ergo sola caussa *deficiens* potest peccare, nempe sola creatura. Unde peccatum Deo absolute repugnat. 2. *Contradictoria* sunt merum *nihil*; cum vero *nihili* nullæ sint proprietates, sequitur, contradictoria existere non posse, nec proinde esse objectum divinæ omnipotentiæ.

Q. Deus potestne facere meliora iis, quæ facit?

℞. Id negavit *Petrus Abaelardus* teste Bernardo. Sed præterquamquod inde sequeretur Deum non esse omnipotentem; patet Deum posse facere meliora iis, quæ facit ex Apostolo. *Eph.* III. 20. *potens est Deus omnia facere superabundanter, quam petimus, et intelligimus.*

Q. Deus

Q. Deus potestne facere alia ab iis, quae *actu* vult, et facit?

R. De fide est, Deum posse facere. II. *Machab.* III. 18. *Deus potest uno nutu universum Mundum delere*. Et *Matth.* III. 9. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae*. Deinde si Deus non posset facere alia ab iis, quae *actu* vult, et facit, quo pacto verum esset, eum esse omnipotentem?

CAP. V.

De Scientia Dei.

§. I.

De existentia, et proprietatibus scientiae Dei.

Q. Quid est *scientia* Dei?

R. Est cognitio rerum omnium, quam habet Deus, absque *ratiocinatione*. Dixi, *absque ratiocinatione*; nam *ratiocinatio* aliquam imperfectionem involvit, nimirum progressum a *notis* ad *ignota*. At Deus unico actu videt omnia, et effectus in suis caussis.

Q. Existitne in Deo hujusmodi *scientia*?

R. De fide est, Deum habere *scientiam* hoc modo explicatam. *Esth.* XIV. 14. *Qui habes omnium scientiam*. *Rom.* XI. 33 *O altitud o divitiarum sapientiae, et scientiae Dei.*

Dei. Deinde scientia absque ratiocinatione est summa perfectio, quae ab ente perfectissimo, qualis est Deus, abesse nequit.

Q. Quaenam sunt proprietates scientiae Dei?

℟. 1. Est actus simplicissimus juxta, illud *Sap.* VII. 22. de sapientia Dei: *Est in illa spiritus intelligentiae, sanctus, unicus, et multiplex*; h. e. qui uno actu cuncta cognoscit. 2. Est actus immutabilis. Unde Augustinus *Lib.* XIII. *Conf.* 16. sic Deum alloquebatur; *Solus, qui es incommutabiliter, et scis incommutabiliter*. 3. Est scientia infinita. *Psal.* CXLVI. *Sapientiae ejus non est finis, non est numerus*, h. e. cognoscit res infinitas, infinito modo. 4. est caussa rerum omnium; siquidem *Prov.* VIII. Sapientia de sepisa loquens ait: *Cum eo eram cuncta componens*. Et Gregorius Magnus *Lib.* XX. *Moral. cap.* 23. *Quae sunt, ideo sunt, quia a Deo videntur*.

Q. Si scientia Dei est caussa rerum omnium, quomodo non imponit necessitatem caussis liberis?

℟. De fide est, Dei *scientiam*, sive *praescientiam* nullam imponere necessitatem caussis liberis. Siquidem dogma fidei est, Deum cuncta praescire. Item dogma fidei est, humanas voluntates liberas esse in actibus suis. Ergo etiam dogma fidei est, Deum nullam necessitatem imponere per *scientiam*, sive *praescientiam* suam caussis liberis. Est quippe Deus sapientissimus rerum omnium gubernator, qui omnes caussas secundas movet modo *naturae earum congruo*, h. e. *neces-*

cessarias necessario, *liberas libere*; quamvis quo pacto id faciat, intelligere, et explicare nequeamus.

§. II.

DE OBJECTO SCIENTIÆ DEI.

Q. Quodnam est objectum scientiæ Dei?

R. Multiplex. 1. Deus cognoscit seipsum, et omnia attributa sua, tam *absoluta*, quam *relativa*. *Luc.* X. 22. *Nemo scit*, *quis sit Filius*, *nisi Pater*, *et quis sit Pater*, *nisi Filius*. Et re quidem vera scientiæ perfectissimæ nullum aliud potest esse objectum, nisi perfectissimum, nempe ipse Deus. 2. Deus cognoscit cætera omnia. *Hebr.* IV. 13. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu Dei*, *omnia autem nuda*, *et aperta sunt oculis ejus*. 3. Cognoscit Deus praeterita, et futura. *Psal.* CXXXVIII. *Tu cognovisti omnia novissima*, *et antiqua*. 4. Cognoscit etiam futura *conditionalia*. *Matth.* XI. 21. *Vae tibi Corozain*, *vae tibi Bethsaida*, *quia si in Tyro*, *et Sydone factae essent virtutes*, *quae factae sunt in vobis*, *olim in cinere*, *et cilicio pœnitentiam egissent*. 5. Cognoscit Deus denique omnia possibilia; nam si cognoscit, uti est, omnipotentiam suam, cognoscat necesse est omne id, ad quod se extendit, nimirum omnia possibilia.

Q. Si Deus cognoscit omnia futura libera,

cur

cur legitur in Scripturis eum aliquando de iis dubitasse?

℟. Id facit, ut ostendat rem esse liberam, difficilem, et dubiam apud homines, non vero apud ipsum Deum. Unde *Hieronymus* in cap. XXVI. *Jerem. verbum*, ait, *ambiguum* forsitan *majestati divinae non convenire; sed nostro loquitur affectu, ut homini liberum servetur arbitrium*.

Q. Si Deus omnia futura novit, cur quædam, quae ipse prædixit, postea non evenerunt, ut mors *Ezechiae* IV. *Reg.* XXI. 1. et subversio *Ninives Jon.* III. 4.?

℟. Spectata vi morbi, *Ezechias* revera moriturus erat; et propter scelera revera *Ninive* erat subvertenda. Sed quia Deus etiam prævidit, *Ezechiam* oraturum, et *Ninivitas* peccatorum suorum pœnitentiam acturos, neque mortem *Ezechiae*, neque subversionem *Ninives* decrevit in æternis consiliis suis.

§. III.

De medio Scientiæ Dei.

Q. In quo *medio* Deus omnia supra recensita cognoscit?

℟. 1. Nemine dissentiente, Deus in nullo *medio* cognoscit essentiam suam, et attributa; nam *medium* est illud, in quo, tanquam in *caussa*, Deus cognoscit; at nulla datur caussa essentiæ, et attributorum Dei. 2. Etiam nemine dissentiente Deus videt cætera omnia in seipso, *Dionys. de divin. nomin.* cap. VII.

VII. *Divina*, ait, *sapientia seipsam cognoscens scit omnia*. 8. Acerrima controversia agitata est inter Theologos de *medio*, in quo Deus videt *actiones liberas* creaturarum; a qua controversia, utpote pacis amatores facile abstinemus, illud tantum adjicientes, quod ad systema nostrum facit, actiones liberas creaturarum *ordinis supernaturalis* videri a Deo in *decreto suo efficaci* illas in creaturis cum creaturis producendi; reliqua vero omnia Deus videre in sua essentia, tanquam in idea, quae illa certissime repraesentat.

§. IV.

De Divisione Scientiæ Dei.

Q. Quomodo dividitur scientia Dei?

R. Scientia Dei, in ipso Deo, unica, et simplex est; tamen propter diversa objecta, quae respicit, dividi solet. 1. in *speculativam*, et *practicam*. *Speculativa* est de rebus a Deo non producendis, ut est ipse Deus, et res tantum *possibiles*, at nunquam exituræ. *Practica* respicit res a Deo producendas; ut scientia hujus Universi. 2. in *necessariam*, et *liberam*. *Necessaria* est de rebus necessario existentibus, ut in Deo cognitio sui ipsius. *Libera* respicit res, quae a libero suo decreto pendent, ut sunt res omnes creatae. 3. in scientiam *simplicis intelligentiae*, et *visionis*. Prior spectat res mere *possibiles*, quae nec fuerunt, nec erunt. Posterior est de rebus vel praeteritis,

vel

vel praesentibus, vel certo futuris.

Q. Quid sentiendum est de scientia *media* Molinistarum?

℞. Censemus, rejiciendam esse. Nam hæc scientia dicitur *media*, quia veluti media est inter scientiam *intelligentiae*, quae est de rebus *possibilibus*, sed nunquam futuris; et scientiam *visionis*, quae respicit res certo futuras. Dantur siquidem juxta illos quaedam res, quae neque sunt mere possibiles, nec certo futurae, sed futuræ essent, si aliqua conditio poneretur: et de iis rebus jactant, dari scientiam *mediam*. At nos iis bona pace reponimus hoc dilemma. Ipsa conditio ponenda, et ipsa res Deo notæ sunt. Igitur, vel ea conditione posita, res continget, et pertinebit ad scientiam *visionis*; vel ea conditio non ponitur, et res non accidet, et scientia ipsius, utpote de re possibili, et non extitura, dicetur *simplicis intelligentiae*. Igitur inutile est, hanc scientiam *mediam* fingere.

CAP. VI.

DE VOLUNTATE DEI.

§. I.

DE EXISTENTIA, ET OBJECTO VOLUNTATIS DEI.

Q. EXistitne in Deo *voluntas?*

℟. De fide est, esse in Deo voluntatem. Sufficiat unus, et alter Scripturae textus in re manifesta. *Is.* XLVI. 1. *Omnis voluntas mea fiet. Matth.* VI. 10. *Fiat voluntas tua.*

Q. Quodnam est objectum divinae voluntatis?

℟. Objectum duplex est; *materiale*, h. e. materia, circa quam voluntas versatur, et *formale*, h. e. finis, ob quem voluntas circa materiam illam occupatur. Igitur 1. objectum *materiale primarium* divinae voluntatis est ipse Deus; et *secundarium* sunt res omnes creatæ, praesentes, et futurae. *Sap.* XI. 25. *Diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti.* 2. Objectum *formale* est ipsa Dei bonitas. *Prov.* XVI. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.*

§. II.

§. II.

De Divisione Voluntatis Dei.

Q. Quomodo dividitur voluntas Dei?

R. Voluntas Dei in seipsa spectata unica, et simplicissima est; tamen propter diversam rationem, qua objecta spectat, dividi solet 1. in voluntatem *beneplaciti*, et *signi*. Prior est volunta, qua Deus ab æterno aliquid *absolute* decrevit, ut creationem Universi, conversionem *Pauli*. Posterior, ita per metaphoram dicta, est ipsum signum voluntatis Dei. Quinque autem solent esse signa voluntatis Dei hoc versiculo contenta:

Praecipit, aut prohibet, permittit, consulit, implet;

nempe *praeceptum*, *prohibitio*; *permissio*, *consilium*, et *operatio*, quae sunt signa voluntatis Dei; 2. in voluntatem *antecedentem*, et *consequentem*. Prior est decretum Dei aliquid faciendi, abstrahendo a circumstantiis particularibus. Posterior est, qua Deus *absolute* aliquid vult, inspectis omnibus peculiaribus circumstantiis. Patet exemplo Judicis, qui voluntate *antecedenti* vult omnes cives vivere; at inspecta in aliquo cive circumstantia homicidii ab ipso patrati, ejus mortem decernit, voluntate scilicet *consequenti*. 3. Denique dividi solet in voluntatem *absolutam*, et *conditionalem*, quae divisio a nobis admittitur, si nomine voluntatis *conditionalis* intelligatur decretum Dei absolutum,

adjunctam habens conditionem ab ipso Deo decretam, et libere implendam a creatura, h. e. sit absoluta voluntas ex parte *subjecti*, et conditionalis ex parte *objecti*, ut scholae loqui amant.

§. III.

De proprietatibus voluntatis Dei.

Q. Quænam sunt proprietates voluntatis Dei?

R. Plures. 1. Voluntas Dei est caussa rerum omnium. *Eph.* I. 11. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*; etiam mala naturae, et pœnæ, *Amos*. III. 6. *Si est malum in Civitate, quod non fecerit Dominus*. 2. Voluntas Dei *consequens* semper impletur. *Is.* XLVI. *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet*. *Eph.* XIII. 9. *Non est, qui possit voluntati tuae resistere*; et si legitur *Matth.* XXIII. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti*, ibi sermo est de voluntate Dei *antecedenti*. 3. Deus vult voluntate *antecedenti* omnium hominum salutem æternam I. *Tim.* II. 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri*; at voluntate *consequenti* vult salutem dumtaxat prædestinatorum; nam non omnes homines, sed solum prædestinati *actu* salvantur. 4. Voluntas Dei libera non est ad amandum ipsum Deum; nam non amare Deum est peccatum, cujus Deus incapax est,

est; sed libera est in ordine ad creaturas *Eph.* I. 11. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*, h. e. nulla necessitate impulsus. 5. In Dei voluntate non est justitia *commutativa*; nulli enim Deus quidquam debet, sed quidquid creaturæ largitur, vel in creatura est, totum existimandum est donatum ex sua immensa liberalitate, et misericordia; imo adeo magna est ejus bonitas, ut voluerit esse *merita nostra*, *quae sunt dona sua*, ut ait *Augustinus*. 6. In Dei voluntate est justitia *distributiva*, et *vindicativa*, tum quia Deus pro meritis retribuit, *Rom.* II. 6. *Unicuique reddet Deus secundum opera ejus*; tum quia criminibus justam pœnam infligit, *Rom.* XII. 19. *Mihi vindicta, et ego retribuam*. 7. In Dei voluntate est vera, et propria *misericordia*, h. e. voluntas alienam miseriam levandi; nulla quippe est scripturæ pagina, in qua non commendatur misericordia Dei; imo in uno ipso versiculo magnifice misericordia Dei extollitur. *Psal.* CXLIV. *Miserator, et misericors Dominus, longanimis, et multum misericors, miserationes ejus super omnia opera ejus*. 8. in Dei voluntate datur vere, et proprie amor boni, et odium peccati. Nam *Sap.* XI. 25. *Diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti*; et XIV. 9. *Odio sunt Deo impius, et impietas ejus*, h. e. peccator, quatenus peccator est, et idolum ipsum, quod ille adorat. 9. In Dei voluntate datur *desiderium*, *tristitia*, et *ira* per metaphoram. *Os.* X. 10. *Juxta desiderium meum*

corripiam eum. Eph. IV 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum*. Psal. CV. *Et iratus est furore Dominus*; Dixi *per metaphoram*; nam *desiderium* est amor boni absentis; at a Deo nihil absens est: *tristitia* est dolor animi ob bonum amissum; at Deus dolere non potest: *ira* est appetitus vindictæ propter tristitiam ex injuria illata conceptam.; at Deus tristitiæ incapax est. 10. Voluntas Dei providet rebus omnibus, quæ sunt, et fiunt in Universo. *Sap.* XIV. 3. *Tua, Pater, providentia ab initio cuncta gubernat*. Quam providentiam dirigi etiam ad *liberos actus* creaturarum patet ex *Prov.* XX. 24. *A Domino diriguntur gressus viri*; imo extenditur ad ipsa peccata, quæ Deus non facit, sed a creaturis patrata ordinat in bonum, hinc *Exod.* IX. 16. ait Dominus Pharaoni: P*osui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in gentibus*.

Q. Si Dei voluntas providet rebus omnibus, quæ fiunt in hoc Universo, cur quædam res dicuntur *casu* contingere?

℟. Eae res dicuntur contingere *casu*, et fortuito respectu hominum, non vero respectu Dei, qui ab æterno eas prævidit, et ordinat.

Q. Si Dei providentia omnia omnino attingit, quare justi calamitatibus, peccatores vero inter delicias, et bona suam degunt vitam?

℟. Calamitates, et persecutiones justorum sunt brevi tempore duraturæ; nam etiamsi durarent tota vita, hæc est vapor *ad modi-*

eum parens, post quam brevissimis ærumnis æterna beatitudo succedit. Deinde eas afflictiones Deus permittit, ut intelligant justi se non habere hic manentem civitatem, sed futuram inquirendam, nempe cœlestem patriam. At peccatores, qui in deliciis vitam agunt, apparentem illam felicitatem, brevem post hanc vitam, nisi resipiscant, cum æternis cruciatibus commutabunt, ubi scelerum suorum sempiternas dabunt pœnas.

Quæstioni de malis, quibus plenus est orbis, factum est satis, ubi de *Unitate* Dei sermo fuit.

FINIS.

TRACTATUS

De Trinitate

CAP. I.

De definitione Mysterii SS. Trinitatis; deque natu rae, et personae notionibus.

§. I.

Definitio Mysterii SS. Trinitatis.

Q. Quomodo definitur **Mysterium** SS. Trinitatis?

℞. Definitur: *una numero natura divina in tribus personis, Patre, Filio, et Spiritu S. realiter distinctis, subsistens*. Dicitur 1. *una numero natura divina*; nam si esset una *specie*, tres personæ, Pater, Filius, et Spiritus S. essent tres Dii, quemadmodum una *specie* natura humana in Petro, Paulo, et Andrea constituit tres homines. Dicitur 2. *in tribus personis, Patre, Filio, et Spiritu S. realiter distinctis subsistens*; quia licet Pater, Filius, et Spiritus S. habeant unam *numero*, eamdemque naturam divinam, tamen sunt tres personae realiter distinctae: Et in hoc posita est obscuritas hujus Mysterii, quod, ut ait *Bernardus lib.* 5 *de consider. cap.* 8. *scrutari temeritas est; credere pie-*

pietas est; *nosse vita*, *et vita aeterna est*. Igitur allata definitio non est ex genere earum, quae explicant naturam rei, sed quam ipsa fides, quae est *argumentum non apparentium*, nobis suppeditat.

§. II.

Definitio naturae, prout hic accipitur.

Q. Quid est *natura*?

℞. *Naturae* vocabulo hic non intelligitur aliquid abstractum, nec existens a parte rei, ut cum naturam humanam nomino, neque Petrum, neque Paulum, neque quemlibet hominem existentem intelligo. Sed significatur complexio actualis omnium proprietatum, per quam ens actualiter existit, ita ut natura divina idem sit, ac ipse Deus existens. Igitur hic natura est terminus concretus h. e. res existens.

§. III.

Definitio personae.

Q. Quid est *persona*?

℞. Est *substantia*, *singularis*, *intelligens*, *tota in se*, *et incommunicabilis alteri*. Dicitur 1. *substantia*, ad differentiam accidentium, quæ cum per se subsistere nequeant, ut notum est ex *Ontologia*, non sunt *tota in se*, *et alteri incommunicabilia*; quis enim diceret sapientiam hominis esse personam? Dicitur

2. *singularis*; quidquid enim existit singulare est. Dicitur 3. *intelligens*, h. e. intellectu prædita; quod enim existit cum aliis proprietatibus, quæ personam constituunt, nec tamen habet intelligentiam, non dicitur persona, sed dicitur *suppositum*, ut equus. Dicitur 4. *tota in se*, *et incommunicabilis alteri*, h. e. quæ proprietates suas, per quas existit, habeat distinctas, et independentes ab alia re, ita ut eo ipso, quod communicetur, sive uniatur alteri rei, non sit amplius persona. Sic homo est persona; nam est *substantia*, *singularis*, *intelligens*, *tota in se*, *et incommunicabilis alteri*, ut patet.

C A P. II.

De una numero natura divina, et distinctione reali trium personarum in divinis.

§. I.

Una numero natura divina in tribus personis ostenditur.

Q. Tres divinae personae habentne unam *numero* divinam naturam, h. e. suntne consubstantiales, sive unus Deus?

℞. Dogma fidei est, tres personas Patrem, Filium, et Spiritum S. esse consubstantiales,

les, sive unum Deum. Nam Christus *Matth.* XXVIII. 19. præscribens Apostolis formam Baptismi ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Ubi notandum est, non dixisse *in nominibus*, sed *in nomine*, h. e. in auctoritate. Ergo si una est Patris, Filii, et Spiritus S. auctoritas, una quoque est natura. I. *Joann.* Cap. V. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, et Spiritus S., et hi tres unum sunt*. Quid clarius ad adstruendam unam *numero* naturam in divinis? Deinde Patres, qui ante Nicænum Concilium floruerunt, idem dogma constanter, et unanimiter docuerunt. Athenagoras *legation. pro Christian. Deum asserimus, et ipsius Verbum, et Spiritum S. . . . . actu, et essentia unum*. Tertullianus *lib. contra Praxeam cap.* 2. *Custodimus*, ait, *Oeconomiae Sacramentum, quae Unitatem in Trinitatem disponit tres dirigens Patrem, Filium, et Spiritum S. . . . unius substantiae, unius status, unius potestatis, quia unus Deus*. Dixi; *Patres, qui ante Nicaenum Concilium floruerunt*; nam de Patribus, qui scripserunt post Conc. Nicaenum, in quo fides Catholica explicata est, nullus relinquitur dubitandi locus. Denique veritas dogmatis patet ex *Symbolo* Apostolico, in quo fideles a primis saeculis professi sunt, se credere in Deum Patrem, Filium, et Spiritum S. h. e. tribus personis adhærere, tamquam primo principio, et ultimo fini; quod nefas esset, si Pater, Filius, et Spiritus

ritus S. non haberent eandem numero naturam divinam h. e. non essent *consubstantiales*, sive unus Deus.

Q. Si tres personae Pater, Filius, et Spiritus S. sunt unus Deus, quare Christus appellat Patrem solum verum Deum, *Joann.* XVII. 31. dicens: *haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum verum Deum?*

℟. Christus appellat Patrem solum verum Deum, ut excludat inanes Gentium Deos; non vero, ut excludat Filium, et Spiritum S. qui sunt cum ipso Patre unus Deus. Non enim a cultu Idolorum, quae sunt opera manuum hominum sperari potest aeterna vita.

§. II.

REALIS DISTINCTIO TRIUM PERSONARUM IN DIVINIS DEMONSTRATUR:

Q. Quot sunt in divinis personae?

℟. De fide est, tres esse in divinis personas realiter distinctas, nempe Patrem, Filium, et Spiritum S. Ex veteri Testamento demonstratur, licet obscurius. Nam *Gen.* I. 26. ait *Deus*: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Ubi verbum *faciamus* in numero plurali prolatum ostendit pluralitatem personarum in Divinis. Unde Theodoretus *Quaest.* XIX. *in Genes. subjungens*, ait, *faciamus, expressit numerum personarum*. *Isai.* IV. 8. *Audivi vocem Domini dicentis: quem mittam?*

et

et quis ibit nobis? per quæ postrema verba plures in divinitate designantur personæ. Omittimus alia plura loca. Deinde Patres qui ante Concilium Nicænum floruerunt, laudatos Veteris Testamenti textus, aliosque similes, qui afferri possent, unanimi consensu interpretati sunt de pluralitate divinarum personarum, docueruntque Mysterium SS. Trinitatis non fuisse ignotum saltem obscurius primoribus inter Judæos. Ergo ex Veteri Testamento demonstratur, licet non clare, pluralitas personarum in divinis. Ex Novo vero Testamento clarissime patet, tres esse in divinis personas, easque appellari Patrem, Filium, et Spiritum S. *Matth.* XXVIII. 19, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.* I. *Joann.* V. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo Pater, Filius, et Spiritus S.* Quibus verbis quid enucleatius dici poterat? Denique hæc erat universalis Ecclesiæ fides ante Nicænum Concilium, ut patet tum ex *Symbolo* Apostolico, qui in usu erat, et in ore omnium fidelium; tum ex Irenæo *lib.* I. *contra haereses cap.* 2. *Ecclesia per universum orbem seminata usque ad fines terrae accepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem Omnipotentem . . . et in unum Jesum Christum Filium Dei, et in Spiritum S.*; tum demum ex Tertulliano *lib. contra Praxeam cap.* 30. *Judaicae fidei ista res est sic unum Deum credere, ut Filium Dei adnumerare nolis, et post Filium, Spiritum.* Dixi sæpius, et nominavi *Patres ante Conci-*

cilium *Nicaenum*; nam de iis Patribus, deque fide illorum temporum tota est inter Catholicos, et hæreticos concertatio. Igitur dogma fidei est, tres esse in divinis personas Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum *realiter* inter se distinctas.

Q. Quodnam firmum argumentum duci potest ex illo *Gen.* I. 26. *Faciamus hominem* etc. cum Princeps, persona singularis, solet in edicto suo scribere: *volumus*, *jubemus*; vel possent esse verba unius personæ cohortantis se ad opus?

℟. 1. Hic mos, quo Princeps aliquis de seipso loquitur in plurali numero: *volumus*, *jubemus*, non erat in usu apud Hebræos. Unde *Abimelech*, *Pharao* in Edictis suis nunquam plurali numero usi sunt: imo nec ipse Deus, cum legem suam jussit, et promulgavit, de seipso in numero plurali locutus est. 2. Cohortatio Artificis ad seipsum significat animi suspensionem, quæ in Deum cadere nequit. Non igitur illa verba poterant esse unius personæ cohortantis se ad opus. Deinde; *quis faber ferrarius*, *aut lignarius*, *aut quis sutor inter artis instrumenta sedens*, *adjuvante ipsum nemine*, *dicat ipse sibi*: *faciamus gladium*; *aut aratrum compingamus*? ait *Basilius Homil.* in *Hexam.*

Q. Quid confici potest ex illo versiculo 7. *Epist.* I. *Joann.* cap. V. *Tres sunt*, *qui testimonium dant in Cœlo* et cæt. cum non in omnibus codicibus ille legatur?

℟. Missa historia, quæ spectat hunc versi-

siculum potius ad eruditionem faciente; dicimus, Ecclesiæ proprium esse, definire, quinam sint libri Canonici, et quænam eorum partes genuinæ. Cum igitur Concilium Tridentinum definierit inter alios libros sanctos etiam Epistolam I. *Joannis*, cum omnibus partibus, quæ in Ecclesia Catholica legi consueverunt, esse canonicam, dicendum est, hujusmodi versiculum canonicum, et divinum esse, cum legatur in officio Dominicæ I. post Pascha, et in Ecclesia Græca, ut patet ex Græcorum *Lectionario*. Igitur firmissimum ex eo duci potest argumentum.

Q. Si in divinis tres essent personæ *realiter* distinctæ, quomodo unus existeret Deus?

℞. Tres illae divinae personae, Pater, Filius, et Spiritus S. habent unam, eamdemque *numero* divinam naturam, ac proinde sunt unus Deus.

CAP.

C A P. III.

DE DIVINITATE FILII, SIVE VERBI ÆTERNI, SPECIATIM CONTRA ARIANOS.

§. I.

MANIFESTUM EST EX SCRIPTURIS FILIUM, SEU VERBUM, ESSE CONSUBSTANTIALEM PATRI, AC PROINDE ESSE VERUM DEUM.

Q. Quomodo demonstratur ex Scripturis, Verbum esse *consubstantiale* Patri, sive verum Deum?

℟. Demonstratur clarissime. *Joan.* cap. 1. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt*. In quibus verbis animadvertendum est, tribui Verbo; tum *Æternitatem*, cum enim Evangelista absolute pronuntiaverit *erat*, nullum temporis spatium statui potest, in quo Verbum non erat ac proinde semper fuit, et aeternum est; tum *Omnipotentiam*, omnia quippe per Verbum facta sunt, sive quidquid in Cœlo, et in terra existit, a Verbo creatum est. Cum ergo Verbo tribuatur *Æternitas*, et *Omnipotentia*, quae attributa solius veri Dei sunt, dicendum est, Verbum esse verum Deum, ac proinde Patri *consubstantiale*. 2. Epist. ad Hebraeos Apostolus inducit Patrem sic loquentem ad Filium: *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi; . . . . Tu in principio*

pio terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt Cœli, ipsi peribunt . . . . et mutabuntur, tu autem idem ipse es. In hoc autem Apostoli testimonio Verbum appellatur *Deus*, ipsi tribuitur *Omnipotentia*, et *Æternitas* de ipso praedicatur. Quid clarius? Ergo Verbum, sive Filius Dei est verus Deus, et Patri *consubstantialis*.

Q. Si Verbum est Patri *consubstantiale*, sive verus Deus, cur *Sapientia*, quæ est *Verbum* Dei, dicitur *creata Eccli.* XXIV. 14. ?

℟. *Sapientia* dicitur *creata* impropriè, h. e. *genita* a Patre, et ejusdem naturæ cum Patre, a quo procedit.

Q. Si Filius est Patri *consubstantialis*, cur Christus Dei Filius ait: *Pater major me est, Joan.* XIV. 19. ?

℟. Postquam Filius per incarnationem assumpsit naturam humanam, duas habet in persona sua subsistentes naturas, scilicet *divinam*, et *humanam*. Igitur quoad naturam divinam æqualis est Patri, quoad vero naturam humanam minor est illo. Unde cum ait: *Pater major me est*, locutus est de *forma* assumpta h. e. natura humana.

Q. Si Filius est Deus, cur dicitur *nescire judicii diem*. *Marci* XIII. 32. ?

℟. Non dicitur *nescire* quatenus Deus est, quia a Deo omnis omnino abest ignorantia; sed dicitur eo loci *nescire*, quatenus factus homo non habuit potestatem a Patre illius notitiam hominibus communicandi. Quemadmo-

modum Sacerdos ea, quæ audivit in Confessione Sacramentali recte dicitur *nescire*, quia ea novit illa scientia, quæ dicitur *incommunicabilis*.

§. II.

PATRES ANTENICÆNI, SIVE GRÆCI, SIVE LATINI CONSTANTER DOCUERUNT VERBI DIVINITATEM.

Q. Potestne ostendi ex Patribus Antenicænis, Verbum esse Patri *consubstantiale*, sive verum Deum?

℟. Clare ostenditur afferendo auctoritates eorum, qui floruerunt tribus primis sœculis. h. e. ante Concilii Nicæni celebrationem. Ex Patribus Græcis 1. *Ignatius* Martyr, qui vixit primo sæculo. *Epist. ad Ephesios: Unus est*, ait, *medicus carnalis, et spiritualis, factus, et non factus, in carne Deus, in morte vita vera, et ex Maria, et ex Deo*. 2. *Justinus* sœculo II. *Apol.* II. *Filium*, ait, *esse Patri universorum, qui quod Verbum Dei primogenitum sit, Deus etiam existit*. 3. *Irenaeus* sœculo III. *lib. contra haereses*: *Non enim*, inquit, *ineffectus es, o homo, neque semper coexistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum*. *Clemens* Alexandrinus eodem sœculo III. in fine *Paedagogi*, ait: *Patrem, et Filium unum esse Deum, per quem est aeternitas*. Ex Patribus Latinis 1. *Tertullianus lib. cont. Prax.* Patris nomina,

et

et attributa docet etiam Filio convenire. *Nomina Patris, Deus omnipotens, Altissimus, Dominus virtutum, Rex Israelis, Qui est . . . haec dicimus et in Filium competisse*. 2. *Lactanctius lib. IV. cap.* 29. *Fortasse quaerat aliquis, quomodo cum Deum nos unum colere dicimus, duos asseveramus Deum Patrem, et Deum Filium?* Cui quæstioni respondet: *Cum dicimus Deum Patrem, et Deum Filium, non diversum dicimus . . . . . una utrique mens, unus Spiritus, una substantia est*. Consulto eorum Patrum ex Græcis, et Latinis testimonia retulimus, de quibus a nonnullis temere dubitatum est. Hinc licet conjicere, quam sint clariora pro divinitate Verbi aliorum Patrum Antenicænorum loca, qui nullam vel in ipsis *Criticis* moverunt suspicionem.

Q. Quænam generales responsiones præ oculis haberi possunt, ut occurratur objectionibus, quæ ex Patribus Antenicænis desumuntur?

℟. Plures 1. Patres priorum sœculorum scripserunt ante ortam Arianorum hæresim, qui impie asserebant, Verbum esse creaturam, ac proinde minus caute locuti sunt, putantes se intelligi, prout in Ecclesia Catholica credebatur. Unde Hieronymus *Apol.* II. *cont. Ruf.* ait: *Antequam in Alexandria, quasi daemonium meridianum, Arius nasceretur, innocenter quaedam, et minus caute* (scriptores) *locuti sunt* 2. Aliquando Patres in æstu disputationis pro aliqua veritate contendentes visi sunt in contrarium er-

errorem labi; sic *Augustinus* disputans contra Pelagianos, qui nimium naturæ viribus tribuentes negabant gratiæ necessitatem ad bona opera patranda, ipse ita gratiæ necessitatem asserebat acerrime, ut voluntatis libertatem adversariis visus sit cum Manicheis negare. Igitur antiqui Patres disputantes contra hæreticos, qui negabant, tres esse personas in divinis, potuerunt videri cum distinctione personarum etiam naturæ differentiam asserere. 3. Cum *Filius* procedat per æternam generationem a Patre; et Spiritus S. procedat per amorem a Patre, et Filio, Pater vero a nullo procedat; nonnulli veteres Patres appellarunt solum Patrem *Deum*, et *fontem divinitatis*, non ut assererent Filium æque, ac Spiritum S. non esse Deum, sed ut dicerent, solum Patrem esse principium sine principio, h. e. a nullo procedere, et ipsum esse principium Filii, et simul cum Filio esse principium Spiritus S. 4. *Missio* in divinis, ut suo loco dicemus, est *processio* unius personæ ab alia habens adjunctum effectum temporalem. Igitur Filius, qui a Patre procedit, et in tempore suscepit naturam humanam, dicitur a veteribus Patribus *missus* a Patre h. e. procedens; *visibilis*, h. e. in natura assumpta; *minister Patris*, nimirum *improprie*. Quæ omnia non excludunt ab ipso divinitatem; imo si non *mitteretur*, h. e. si non procederet a Patre, non esset ejusdem naturæ cum Patre, nempe Deus. 5. Filius præter alia nomina, habet nomen *Rationis*, et no-

men

men *Sermonis*. At *ratio* est aliquid latens interius in homine; *sermo* vero est conceptus mentis exterius manifestatus ore. Hinc cum Filius exterius manifestatus sit, vel in Mundi creatione, cum Deus locutus est, dicens: *Fiat lux*, et cet. vel in Incarnatione, idcirco nonnulli Patres asseruerunt, *Sermonem* non semper fuisse. 6. Denique Verbum incarnatum duas habet naturas, divinam scilicet, et humanam, propter unam est æquale Patri, propter alteram ipso minus. Hinc ea, quæ videntur facere Verbum Patre minus, intelligenda sunt, quoad naturam humanam. Hæ sunt generales responsiones, quæ probe intellectae, si prae oculis habeantur facillime explicari possunt quaecumque obscura Patrum Antenicaenorum loca.

§. III.

Divinitas Verbi probatur invictissime ex definitione Conc. Nicæni.

Q. Quomodo demonstratur Verbi divinitas ex definitione Concilii Nicæni?

℟. Demonstratur afferendo fidei formulam in eo Concilio Oecumenico compositam in hæc verba: Credimus *Filium Dei unigenitum esse ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt*; eaque formula inserta est Symbolo. Quid clarius definiri, et dici poterat pro

Verbi

Verbi divinitate ? Ubi advertendum est, vocem illam *consubstantialem* usurpatam esse ad significandam naturam Patris, et Filii esse unam *numero*, non vero *specie*. Quis enim adeo insipiens est, ut possit deglutire, CCCXVIII. Patres doctrina, et sanctitate conspicuos in eo Concilio convenisse, ut definirent Patrem, et Filium duos esse Deos?

Q. Si Nicæna fides ingentis est auctoritatis, cur *Liberius* Papa eam deserens subscripsit formulae *Syrmiensi*, quam appellat Hilarius *perfidiam Arianorum*?

℟. Quamdiu Liberius liber fuit, strenue fidem Nicaenam defendit; sed in exilium pulsus, ærumnis, et calamitatibus oppressus, vi, et dolo circumventus, tandem subscripsit formulae *Syrmiensi*, quae quidem in sensu Catholico intelligi poterat, ut norunt eruditi; at quamvis fuisset evidenter haeretica, non propterea subscriptio *Liberii* magni facienda esset, tum quia non erat definitio *ex cathedra*, tum quia eam per vim extorserunt Ariani.

Q. Si magni ponderis existimatur auctoritas Concilii Nicaeni, cur non aequalis ponderis existimanda est auctoritas Concilii Ariminensis, in quo adfuerunt plusquam trecenti Episcopi, et subscripserunt formulae ab Arianis compositae?

℟. Concilium Ariminense non fuit legitimum. Nam primo Patres fortiter steterunt pro fide Nicæna; sed cum Imperator Patres prohibuisset ad Ecclesias suas reverti, hi fracti omni aerumnarum genere, Arianorum formu-

lae

lae subscripserunt, h. e. non ea libertate, quae necessaria est, ut Concilium legitime celebretur. Quamvis responderi posset, eam formulam in sensu obvio, et naturali non fuisse fidei Nicaenae contrariam, propterea studio pacis putarunt Patres, se posse illi subscribere.

C A P. IV.

De Divinitate Spiritus S. speciatim contra Macedonianos.

§. I.

Ex Scripturis manifeste colligitur Spiritus S. divinitas.

Q. Spiritus Sanctus estne *Deus*, Patri, et Filio *consubstantialis*, ex Scripturis?

℟. Ex Scripturis manifeste colligitur, Spiritum S. esse *Deum*, Patri, et Filio *consubstantialem*. Nam Scripturæ 1. tribuunt Spiritui S. nomen Dei. *Heb.* I. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis*; nempe Spiritus S., quo inspirati Prophetæ locuti sunt; et *Act.* I. 3. ait *Petrus*: *Anania cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui S. . . . . non es mentitus hominibus, sed Deo*, h. e. *Spiritui S.* 2. tribuunt Spiritui S. attributa solius Dei propria, nimirum Scientiam infinitam.

I.

I. *Cor.* II. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*; Immensitatem, *Sap.* I. 4. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*; Omnipotentiam, *Psal.* XXXII. *Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. 3. tribuunt *operationes divinas*, nempe creationem, *Psal.* CIII. *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur*; justificationem, I. *Cor.* VI. 11. *Justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri*; diffusionem charitatis, *Rom.* V. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S.*; denique miracula, *Matth.* XII 28. ait Christus: *si in spiritu Dei ejicio Daemonia*. Quid clarius legi poterat in sacris litteris pro divinitate Spiritus S.?

Q. Si ex Scripturis constat Spiritus S. divinitas, cur Spiritui S. tribuitur *postulatio*, imo *gemitus* *Rom.* VIII. 26. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*?

℟. Eo loci Spiritus S. dicitur *postulare* et *gemere*, metonymice, h. e. facit nos *postulare*, et *gemere* apud Deum; quemadmodum *Genes.* XXII. Deus ait ad Abraham: *nunc cognovi, quod timeas Dominum*; nimirum cognoscere feci. Unde Augustinus *Epist.* CV. *Dictum est interpellat pro Sanctis, quia interpellare Sanctos facit*. Nec sequitur, quod etiam Pater, et Filius debeant dici eodem sensu *interpellare*, *postulare*, aut *gemere*; quia licet gratia *postulationis*, et *gemitus* sit opus totius Trinitatis, ac proinde Patris, et Filii, tamen *appropriatur* Spiritui

ritui S., cui *appropriatur* quoque *justificatio*, cujus sunt initium *postulatio*, et *gemitus*. Dicetur inferius ex operationibus toti Trinitati communibus quasdam ita alicui personæ *appropriari*, ut non prædicentur indiscriminatim de ceteris.

Q. Si Spiritus S. est Deus, cur dicitur: *Non loquetur a semetipso; sed quaecumque audiet loquetur*. *Joan.* XV. 13. ?

℟. Spiritus S. procedit a Patre, et Filio et per eam processionem tota natura divina Patris, et Filii communicatur Spiritui S^a. Igitur a Patre, et Filio accipit naturam divinam, et cum illa etiam divinam scientiam ac proinde non loquitur a semetipso, sed quae audit, loquitur; h. e. quae cognoscit per communicationem essentiae, et scientiae a Patre, et Filio, haec loquitur. Sic explicat Augustinus Tract. XCIX. in *Joan.* *Audire illi scire est, scire vero esse . . . . . quia ergo non est a semetipso, sed ab illo, a quo procedit, a quo illi est essentia, ab illo scientia; ab illo igitur audientia*. Usus est autem Christus verbo futuri temporis *audiet, loquetur*, ob effectum futurum, h. e. *annuntiabit vobis*.

Q. Si Spiritus S. est Deus, quare dicitur factus a Verbo; siquidem *omnia per Verbum facta sunt*. *Joan.* I. ?

℟. In illis omnibus, quae per Verbum facta sunt, non includitur Spiritus S., alioquin etiam Pater dicendus esset factus per Verbum. Excluduntur igitur duae reliquae

Personae, Pater, et Spiritus S. ejusdem naturae, et potestatis cum Filio.

§. II.

DEMONSTRATUR APERTE EX TRADITIONE, ET CONCILIO COSTANTINOPOLITANO I. SPIRITUS S. DIVINITAS.

Q. Quomodo ostenditur ex *Traditione* Spiritum S. esse *Deum*?

℟. Ostenditur afferendo testimonia Patrum quatuor priorum sæculorum. 1. Justinus *Apolog*. II. ait a Christianis æque adorari Patrem, Filium, et Spiritum S.: *Verum hunc ipsum* (Patrem) *et qui ab eo venit Filium, et Spiritum S. colimus, et adoramus*. 2. Athenagoras *Apolog. pro Christian.* ait, nos praesertim curare, ut *aequali honore, et potestate cognoscamus Deum, nempe Patrem, et Verbum ipsius, et Spiritum S.* 3. Clemens Alexandrinus *lib.* III. *Paedagogi cap.* 12. *Laudemus unum Patrem, et Filium . . . . una cum Spiritu Sancto, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia . . . . cui gloria nunc, et in saecula saeculorum, amen*. 4. S. Gregorius Thaumaturgus in *confessione fidei* inquit: *Non defuit unquam Filius Patri, neque Filius Spiritui, sed immutabilis, et invariabilis eadem semper manet Trinitas*. Idem alii docuerunt. Ergo ex *Traditione* quatuor priorum saeculorum manifeste demonstratur Spiritum S. esse Deum Patri, et Filio *consubstantialem*.

Q. Quo-

Q. Quomodo ostenditur etiam ex Concilio Costantinopolitano I. Spiritum S. esse Deum?

℟. In eo Concilio, quod habitum est occasione hæresis Macedonianæ, qua asserebatur, Spiritum S. non esse Deum, definitum est: Credimus *Spiritum S. Dominum, et vivificantem, qui ex Patre procedit* (quia nulla adhuc quæstio erat de processione quoque ex Filio) *qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur*. Et in Epistola *Synodica* ad *Damasum* Papam idem Concilium docet, Spiritum S. esse Patri, et Filio *consubstantialem, et coaeternum*. Quod Concilium cum fuerit *Oecumenicum*, ut patet ex brevi Conciliorum generalium notitia in Tractatu *de locis Theologicis* descripta, sequitur ex Concilio Costantinopolitano maxime probari, ut dogma Fidei, Spiritus S. divinitatem; quod et Patres sequentium sæculorum constanter tenuerunt, et Ecclesia universalis solemniter nunc profitetur in Symbolo Nicœno-Costantinopolitano, quod canitur inter Missarum sollemnia.

Q. Si fides priorum sæculorum erat de Spiritus S. divinitate; cur nulla facta fuit mentio illius in Concilio Nicæno?

℟. Consuetum fuit Conciliis, ea tantum definire, quorum occasione convocata sunt. Cum igitur Concilium Nicænum convocatum fuerit, ut damnaretur hæresis *Arii* negantis Verbi Divinitatem, mirum non est, si nulla divinitatis Spiritus S. facta fuerit mentio.

Q. Cur in Concilio Costantinopolitano I.

Spiritus S. non est appellatus expresso nomine „ *Deus ?*

℟. Si non est appellatus expresso nomine *Deus*; adhibita sunt verba, quibus apertissime significabatur eum esse vere, et proprie Deum, qualia sunt supra recitata. In Epistola tamen *Synodica* ad *Damasum* Papam conceptis verbis Concilium Spiritum S. prædicavit *Deum* Patri, et Filio *consubstantialem*.

Q. Cur Basilius *Hom.* XVII. noluit appellare Spiritum S. *Deum ?*

℟ Prudentis œconomiæ gratia. Cum enim duae gravissimæ hæreses *Arianorum*, et *Macedonianorum* suo tempore turbarent Ecclesiam, metus erat, ne si eas simul aggrederetur, omnes Episcopi, ingenti Ecclesiæ damno, e suis sedibus ejicerentur. Eo metu cessante, aperte inquit *Hom.* CXI. *Confitendum est, Deum esse Patrem, Deum Filium, et Deum Spiritum S.*

CAP.

C A P. V.

De divinis Processionibus, Relationibus, et Notionibus.

§. I.

Processionis, Relationis, et Notionis definitiones.

Q. Quid est *Processio* in divinis?

℞. Est *unius personae ab una, vel a duabus personis origo, intra ipsum Deum manens*, ex. gr. origo Filii a Patre, et Spiritus S. a Patre, et Filio. Dicitur 1. *intra ipsum Deum*; nam omnis processio, quae fit extra Deum, est creatio rei, natura ab ipso Deo diversæ; at Filius, et Spiritus S. non sunt personæ creatæ, et natura diversæ a Patre, sed Patri *coæternæ*, et *consubstantiales*, et cum ipso unus Deus. Dicitur 2. *manens*; nam processiones in divinis non dicuntur fuisse, sed semper *actu* fieri, et manere. Vnde de eodem Filio ait Pater *Psalm.* CIX. *Ex utero ante luciferum genui te*; et *Psalm.* II. *Ego hodie genui te*.

Q. Quid est *Relatio* in divinis?

℞. Est *ordo, sive respectus realis, quo una Persona ad aliam refertur*. Sic *Pater* refertur ad *Filium*., et *Filius* ad *Patrem*; *Pater*, et *Filius* referuntur ad *Spiritum S.*

et *Spiritus* S. refertur ad *Patrem*, et *Filium*. Ad constituendam autem *relationem realem* tria requiruntur, nempe *subjectum*, *fundamentum*, et *terminus*. *Subjectum* est Persona, quæ refertur; *terminus* est persona ad quam *subjectum* refertur, et *fundamentum* est ratio, ob quam *subjectum* ad *terminum* habet relationem; ut patet in exemplo Domini, et Servi; ubi Dominus est *subjectum* Servus est *terminus*, et dominium est *fundamentum*.

Q. Quid est *Notio* in divinis?

℟. Est *character exprimens aliquam personae dignitatem*; *ob quam una ab alia internoscitur*, *et distinguitur*, ex. gr. *Paternitas* respectu *Patris*, *Filiatio* respectu *Filii*, et cet.

§. II.

De divinarum Processionum existentia, nomine, numero, et principio.

Q Existuntne *Processiones* in divinis?

℟. De fide est existere. Nam Filius ait de seipso *Joan.* VIII. 42. *Ego ex Deo processi*, *et veni*. Et de Spiritu S. legitur *Joan.* XV 26. *Qui a Patre procedit*.

Q. Quomodo appellantur hujusmodi *Processiones*?

℟. Processio Filii appellatur *Generatio* Psal. 11. *Filius meus est tu*, *ego hodie genui te*. Et *Isai.* LIII. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* 2. Processio Spiritus S.

S. ob vocum inopiam appellatur simpliciter *Processio*. Unde auctor Symboli, quod *Athanasio* vulgo tribuitur ait : *Spiritus Sanctus a Patre, et Filio non factus, nec creatus, nec genitus; sed procedens.*

Q. Quare *Processio* Filii appellatur *Generatio*, et *Processio* Spiritus S. simpliciter *Processio* nuncupatur?

℟. Respondet Augustinus *lib. contra Maxim. cap.* 14. *Quid inter nasci, et procedere intersit de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest?* et infra: *Distinguere inter illam generationem, et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.* Posset ex variis probabilibus rationibus a veteribus excogitatis haec D. *Thomae* ut verisimilior tradi, non hæreticis, quibus sufficiat Augustini responsio, sed Theologis viris: Nimirum *generatio* definitur: *Origo viventis a vivente in similitudinem naturae vi processionis.* Hæc autem tantum quadrant in processionem Filii. Nam 1. est *vivens a vivente*, nempe ipse vivens a Patre vivente. 2. *in similitudinem naturae*; naturam enim habet Patri simillimam, h. e. eamdem naturam Patris. 3. *vi processionis*; siquidem propria vis intellectus, a quo procedit Filius, est assimilare sibi objecta. At hæc eadem dici nequeunt de Spiritu S.; licet enim sit *vivens a vivente in similitudinem naturae*; tamen hanc *similitudinem naturae* non habet *vi processionis*; quia voluntas quæcumque non assimilat sibi objecta, sed po-

potius seipsam objectis similem facit. Unde impii dicuntur *facti abominabiles sicut ea, quae dilexerunt*.

Q. Quot sunt *processiones* in divinis?

℟. Duæ. Tot enim sunt processiones in divinis, quot sunt personæ procedentes, nempe Filius, et Spiritus S. Ergo duæ sunt processiones in divinis.

Q. Quodnam est *principium* divinarum processionum?

℟. Antequam quæstioni respondeam, duplex cum Theologis distinguendum est principium, alterum dicitur *principium quod*, alterum *principium quo*. Prius est persona, quæ producit; posterius est medium, quo producit; et hoc rursus duplex est *remotum*, et *proximum*; *remotum* est medium quo *remote*, et *mediate*; *proximum*, quo *immediate*, et *proxime* producit. Res patet exemplo Artificis. Artifex est *principium quod* operis; virtus ejus est *principium quo*; natura humana, intellectus, voluntas, brachia sunt *principium quo remotum*; malleus, serra, et scalprum sunt *principium quo proximum*. Sic in actibus hominis internis natura humana est *principium quo remotum*, intellectus, et voluntas sunt *principium quo proximum*. His explicatis; Pater est *principium quod*; natura divina est *principium quo remotum*; et intellectus, quatenus adjunctam habet *relationem Paternitatis* est *principium quo proximum generationis* Filii. Rursus Pater, et Filius sunt *principium quod*; natura divina est *principium quo re-*

mo-

motum; et voluntas, quatenus adjunctam habet *relationem spirationis activae* est *principium quo proximum processionnis* Spiritus Sancti.

Q. Estne certum Spiritum S. procedere a Patre simul, et Filio, tamquam a *principio quod*?

℟. Processionem Spiritus S. a Patre, et Filio a sæculo VII., et acrius a sæculo IX. tempore *Photii* negarunt Graeci, et si atiquando admiserunt statim pro levitate sua ad errorem deflexerunt, autumantes Spiritum S. a Patre solo procedere. At nos dicimus, dogma fidei esse Spiritum S. procedere a Patre simul, et Filio, breviter illud ostendentes ex Scriptura, Traditione, et Ecclesiæ definitione. 1. Scriptura Spiritum S. æque vocat *Spiritum Patris*, *et Filii*. *Matth.* X. 20. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; et *Gal.* IV. 6. *misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra*. Ergo si est Spiritus Patris, quia a Patre procedit, dicendum est quoque a Filio procedere, quia est Spiritus Filii. Rursus Spiritus S. *mittitur* a Filio; unde ait Christus *Joan.* XVI. 7. *Si non abiero Paraclitus non veniet ad vos*; *si autem abiero, mittam eum ad vos*. At notum est, *missionem* in divinis significare *processionem*; *Missio enim ipsa processio est*, ait *Gregorius* M. *Homil.* XXVI. *in Evang.* Denique Spiritus S. *accipit* a Filio; *Joan.* XIV. 54. *Ille me clarificabit*, *quia de meo accipiet*. Ergo ab

 illo

illo quoque *procedit*. 2. Patres Græci, et Latini idem docuerunt. Athanasius *Orat.* III. *cont. Arianos*. *Quaecumque Spiritus habet, haec a Verbo habet*. Nyssenus *lib.* I. *cont. Eunom. Quemadmodum Patri Filius conjungitur, et ex illo originem ducit; . . . . . . sic etiam Spiritus* S. *se habet ad Filium*. Tertullianus *lib. cont. Prax.* *cap.* 4. *Spiritum non aliunde puto, quam ex Patre per Filium*. Ambrosius *lib.* I. *de Spiritu* S. *cap.* 10. *Spiritus quoque Sanctus cum procedit a Patre, et Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio*. Augustinus *lib.* IV. *de Trinit. cap.* 20. *Nec possumus dicere, quod Spiritus* S. *et a Filio non procedit. Neque enim frustra idem Spiritus, et Patris, et Filii Spiritus dicitur*. 3. Tria Concilia generalia in Occidente habita, consentientibus Græcis, et Latinis, definierunt Spiritus Sancti processionem a Patre simul, et Filio; præter plura Concilia provincialia Italiæ, Galliæ, et Germaniæ. Merito igitur Ecclesia Symbolo Nicæno-Constantinopolitano addidit particulam *Filioque*, cumque ea particula Symbolum canit in Missarum sollemniis, ad confirmandum dogma fidei de processione Spiritus S. a Patre simul, et Filio.

Q. Si Spiritus S. a Patre simul, et Filio procedit, cur Scriptura id non docet?

R. Non docet expresse, dicens conceptis verbis Spiritum S. procedere ab utroque; sed docet *implicite*, sive verbis ipsam rem significantibus, ut patet ex iis, quæ dicta sunt

sunt in assertione hujus veritatis, ex Scriptura.

Q. Quare Concilium Constantinopolitanum I. ait Spiritum S. procedere ex Patre, nulla facta Filii mentione?

℟. Quia tunc a Macedonianis negabatur tantum Spiritus S. divinitas. Ad hanc fidem adstruendam satis fuit Concilio definire Spiritum S. a Patre procedere, ac proinde esse ejusdem naturae cum Patre, nempe esse Deum.

Q. Potestne dici Patrem, et Filium esse duo *Principia* Spiritus Sancti?

℟. Minime; ait enim Concilium Florentinum: *ex utroque aeternaliter, tanquam ab uno principio, et unica spiratione procedere*. Quemadmodum enim tres personae dicuntur unum principium creationis Universi, quia unica, et indivisibili operatione illud crearunt; ita Pater, et Filius dicuntur unum principium Spiritus S. quia unica, et non divisa *spiratione* illum spirant.

Q. Cur natura divina appellatur *principium quo remotum*, et non *quo proximum* divinarum processionum?

℟. 1. Dicitur *principium quo remotum*; nam virtus producendi personam ex. gr. quam habet Pater respectu Filii, non potest concipi in alia re contineri, quam in natura divina, tanquam in radice. 2. Non potest appellari *principium quo proximum*; quia natura divina est *quaedam summa res, quae nec gignit, nec procedit*; ut asseruit *Petrus Lombardus*, et probavit Concilium

Lateranense IV. sub *Innocentio* III. At talis non esset, si foret *principium quo proximum*, h. e. proxime, et immediate producens aliquam personam.

Q. Quare dicitur intellectus Patris, quatenus adjunctam habet paternitatis relationem *principium quo proximum* generationis Filii?

℟. 1. Dicitur Pater intellectu, et non alia proprietate Filium generare; tum quia Filius in scripturis sæpius appellatur *Verbum Patris*, et *Verbum* est terminus intellectus; tum quia Patres constanter docent, Filium ideo appellari *Verbum Patris*, quia de Patris intelligentia, et mente procedit. Ita Basilius *Hom.* VI. *Cur Verbum? ut perspicuum sit processisse ex mente*. 2. Dicitur *quatenus adjunctam habet Paternitatis relationem*; quia intellectus *absolute* spectatus est communis tribus personis, ac proinde si intellectus *absolute* spectatus produceret Filium, non solus Pater, sed etiam *Filius*, et Spiritus S. producerent Filium; quod est absurdum. Cum igitur *Paternitas*, quæ est solius Patris, concipitur adjuncta intellectui, tamquam conditio, sine qua intellectus non produceret Filium, sequitur Filium esse terminum solius intellectionis Paternæ.

Q. Quare voluntas Patris, et Filii, quatenus habent adjunctam relationem *spirationis activae* appellatur *principium quo proximum spirationis* Spiritus Sancti?

℟. 1. Dicitur voluntas Patris, et Filii, et non alia res *principium quo proximum spirationis* Spiritus S., quia Spiritus S. a Pa-

Patribus frequenter appellatur *Charitas* , *Amor*, *Dilectio* , *Unio* , *Complexus Patris* , *et Filii*, quæ quidem omnia a voluntate proficiscuntur . 2. Dicitur *quatenus adjunctam habet relationem spirationis activae* ; quia voluntas *absolute* spectata est communis tribus Personis ; atque ideo si voluntas *absolute* spectata produceret Spiritum S. sequeretur non solum Patrem , et Filium , sed etiam Spiritum S. producere , et spirare Spiritum S. quod absurdum est . Cum igitur *Spiratio activa* , quæ soli Patri , et Filio convenit , intelligitur adjuncta voluntati , consequens est , solum Patrem , et Filium spirare Spiritum S

Q Ex quarum rerum intellectione , et amore , qui sunt actus intellectus , et voluntatis procedunt Filius , et Spiritus S.?

℟. Amota omni controversia scholarum , nobis verisimilius videtur sensisse *Thomistas* , qui ajunt , Filium procedere ex cognitione essentiæ divinæ , attributorum omnium , creaturarum possibilium , et creaturarum existentium , posito divino decreto , quo eas ab æterno Deus creare constituit ; **Spiritum S.** vero procedere ex amore essentiæ divinæ , et attributorum omnium , item ex amore creaturarum existentium , posito earum creationis æterno decreto , nequaquam tamen ex amore rerum possibilium , quia amor hic non datur in Deo .

Q. Ex eo , quod dantur in divinis processiones, sequiturne personam producentem

ex.

ex. gr. Patrem esse priorem, et perfectiorem persona procedente, nempe Filio?

℟. Persona producens in divinis est prior persona procedente tantum ratione *originis*, et *principii*, non vero ratione *temporis*, aut *dignitatis*. Nam persona producens ab æternitate communicat totam naturam divinam cum omnibus perfectionibus personæ procedenti. Unde Pater, et Filius ab æterno sunt æque perfecti, et unus Deus; idem dicas de Spiritu S. Ergo persona producens (quæ vox *producens* etiam improprie hic accipitur) non est perfectior, neque prior persona procedente *tempore*, aut *dignitate*, sed tantum prior dici potest ratione *originis*, et *principii*.

Q. Persona producens potest dici *caussa* personae procedentis ex. gr. Pater est *caussa* Filii?

℟. Apud Graecos invenitur hic loquendi modus, sed improprie, nempe accipiendo *caussam* pro principio. At quoniam proprie *caussa* dicitur illa, quae producit effectum extra se, estque ipso prior, et perfectior, existimamus, satius esse ab ea loquendi ratione abstinere.

§. III.

§. III.

De Divinarum Relationum existentia, numero, distinctione inter se, et muneribus.

Q. Danturne *Relationes* in divinis?

℟. Dantur in divinis *Relationes*, et quidem *reales*. Nam de fide est, dari in divinis tres personas *realiter* distinctas, nempe Patrem, Filium, et Spiritum S. Ergo dantur etiam *Relationes reales*; nam personæ nominatae sine *Relationibus realibus*, nec esse, nec concipi possunt, ut dicemus inferius.

Q. Quot sunt in divinis *Relationes*?

℟. Quatuor; scilicet *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio activa*, et *Spiratio passiva*. *Paternitas* est illa, qua pater refertur ad Filium; *Filiatio* est illa, qua Filius refertur ad Patrem; *Spiratio activa* dicitur illa, qua Pater, et Filius referuntur ad Spiritum S; et *Spiratio passiva* nuncupatur illa, qua Spiritus Sanctus ad Patrem, et ad Filium refertur.

Q. Quomodo distinguuntur inter se *Relationes* divinae?

℟. Ea quæ opponuntur inter se, *realiter* distinguuntur. Nam inter ea, quæ opponuntur, necesse est, ut intercedat *distinctio realis*; sic ex: gr: quia Dominus, et Servus, Magister, et Discipulus opponuntur inter se, distinguuntur *realiter* inter se. Igitur *Paternitas*, et *Filiatio*, ob mutuam oppositionem rea-

realiter distinguuntur, item *Spiratio activa*, et *Spiratio passiva*, quia opponuntur, ut patet, etiam *realiter* distinguuntur; licet *Spiratio activa* non *realiter*, sed *virtualiter* distiguatur a *Paternitate*, et *Filiatione*, quia illis non opponitur. Vnde Conc. Florentinum definivit, *in Deo omnia esse unum*, *et idem*, *ubi non obviat relationis oppositio*.

Q. Quot sunt munera *Relationum* divinarum?

℟. Duo; *distinguere*, et *constituere*; nempe distinguunt, et constituunt personas divinas 1. *distinguunt*; quia ubi non est *relationis* oppositio in divinis, omnia sunt unum. Augustinus *Tract.* XXXIX. *in Joan. Relativa nomina Trinitatem faciunt*. 2. *Constituunt*; quia vulgare est illud effatum: *idem est principium distinguens*, *atque constituens*. Si igitur *relationes* distinguunt personas, sequitur etiam illas constituere.

§. IV.

DE DIVINARUM NOTIONUM EXISTENTIA, ET NUMERO.

Q. Existuntne in divinis *Notiones*?

℟. Patres hujusmodi *notiones* in divinis agnoverunt, nempe *Basilius*, *Gregorius Nyssenus*, *Augustinus*, aliique.

Q. Quot sunt numero divinæ *Notiones*?

℟. Quinque; nec plures; nimirum *Innascibilitas*, *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio activa*

etiva , et *Spiratio passiva* . Dixi, *nec plures* nam notiones ad duo inserviunt , scili cet u personae inter se distinguantur , et ut certus earum numerus definiatur . At iis positis 1. per *Paternitatem* Pater distinguitur a Filio, 2. per *Filiationem* Filius distinguitur a Patre , 3. per *Spirationem activam* Pater , et Filius distinguuntur a Spiritu Sancto , 4. per *Spirationem passivam* Spiritus Sanctus distinguitur a Patre , et Filio , 5. posita est etiam *Innascibilitas* propria *notio* Patris , ut significetur eum esse principium sine principio, h. e. a nullo procedere ; quæ utique est positiva dignitas primae personæ . Et sic determinatur etiam trium personarum numerus .

Q. Ex eo , quod hujusmodi *notiones* non sunt communes tribus personis , sed altera alterius propria , sequiturne , unam Personam esse alia perfectiorem ?

℞. *Notiones* non sunt perfectiones *simpliciter simplices* ; quas *est melius habere* , *quam non habere* , sed tantum *simplices* sunt perfectiones , quas *non est melius habere* , *quam non habere* . Ceterum nos inferius dicemus per *circuminsessionem* ita unam personam cum omnibus suis perfectionibus in alia coexistere , ut nulla ratione alia alia perfectior censenda sit , modo ibi explicando .

Q. Quid sunt in divinis intellectus *notionalis* , et voluntas *notionalis* ?

℞. Intellectus *notionalis* dicitur intellectus divinus in Patre , quatenus habet adjunctam *notionem Paternitatis*. Voluntas *notionalis* appellatur voluntas divina in Patre , et Filio ,

qua-

quatenus adjunctam habet *notionem Spirationis activae*. Si vero intellectus, et voluntas considerentur sine notionibus nominatis, dicuntur intellectus *essentialis*, et voluntas *essentialis*.

CAP. VI.

DE CIRCUMINSESSIONE, ET MISSIONE IN DIVINIS.

§. I.

CIRCUMINSESSIONIS DEFINITIO, ET EXISTENTIA.

Q. Quid est *circuminsessio* in divinis?

℞. Est mutua divinarum personarum coexistentia in se invicem, absque personarum confusione; ita ut Pater sit in Filio, et Filius in Patre, uterque in Spiritu Sancto, et Spiritus Sanctus in utroque; nec tamen confundantur, sed *realiter* distinguantur.

Q. Existitne in divinis hujusmodi *circuminsessio?*

℞. Dogma Fidei est, existere. *Joan.* X. 38. ait Filius: *Pater in me est, et ego in Patre*; et *cap. XIV.* 1. *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est.* Hilarius *lib. VIII. de Trinitate. Fides est, Patrem*

in Filio, *et Filium in Patre per insep arabilis naturae unitatem confiteri*. Augus tinus *lib. IV. de Trinitate*. *Tantum est una* (persona), *quantum tres simul*, *nec plus aliquid sunt duae*, *quam una*. *Ita et singula sunt in singulis*; *et omnia in singulis*, *et singulae in omnibus*, *et omnia in omnibus*, *et unum omnia*. Quid pulchrius, et clarius dici poterat?

Q. Si personae divinae per *circuminsessionem* in se invicem coexistunt, quo pacto non confunduntur?

℞. Quia ex. gr. *Paternitas* non est in Filio, tanquam *forma*, per quam Filius subsistat, sed propter *identitatem*, quam habet cum natura divina, quae est in Filio. Item *Filiatio* est in Patre, non tanquam *forma*, per quam Pater subsistat, sed propter *identitatem*, quam habet cum natura divina, quae est in Patre. Et sic de ceteris *relationibus*.

§. II.

Missionis in divinis definitio, et existentia.

Q. Quid est *Missio* in divinis?

℞. Est *processio unius personae ab alia habens adjunctum effectum temporalem*. Dicitur 1. *processio unius personae ab alia*, quia *missio* in suo conceptu quemdam exitum significat; cum igitur nulla persona possit exire extra naturam divinam, utpote immen-

mensam, et individuam, nomine *missionis* intelligitur processio unius personae ab alia, quae sit ab aeterno intra Deum ipsum. Dicitur 2. *habens adjunctum effectum temporalem*; quia persona divina, alioquin immensa, tunc intelligitur fieri praesens rebus, vel loco, cum in iis aliquam operationem producit.

Q. Estne agnoscenda hujusmodi *Missio* in divinis?

℟. De fide est, dari hujusmodi *missionem*, eamque duplicem esse, Filii, et Spiritus Sancti, vel *visibilem*, vel *invisibilem*. *Joan.* VIII. 16. *Solus non sum; sed ego, et qui misit me Pater*. Ecce *missio* Filii. *Galat.* IV. 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*. Ecce *missio* Spiritus S. Dixi 1. eam duplicem esse, nempe Filii, et Spiritus Sancti; nam cum *missio* sit processio unius personae ab alia; Pater, qui a nullo procedit, nec mittitur, nec mitti potest. Dixi 2. eam esse *visibilem*, vel *invisibilem*; nam effectus temporalis productus aliquando est *visibilis*, ut Incarnatio Verbi, illapsus Spiritus Sancti super Apostolos, in forma ignis, die Pentecostes; aliquando est *invisibilis*, ut cum dicitur. *Sap* IX. 10. *Mitte illam* (sapientiam) *de coelis sanctis tuis*, et *Galat.* IV. 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*.

Q. Qui *mittitur* estne minor *mittente*?

℟. Minime; nam hic *missio* est processio unius personae ab alia: quam processionem

in

in divinis diximus supra non facere unam personam alia perfectiorem, aut majorem.

C A P. VII.

De divinarum Personarum variis Nominibus.

§. I.

Nomina Primae Personae.

Q. Quot sunt nomina primae Personae?

℟. Varia sunt. 1. frequentiori vocabulo in Scripturis, et a Patribus Ecclesiae appellatur *Pater*, quia aeterna generatione gignit secundam personam, quae Filius dicitur. Sic nomen *Patris notionaliter* acceptum convenit soli primae personae. Si vero nomen *Patris essentialiter* accipiatur, quatenus respicit essentiam divinam, h. e. Deum respectu creaturarum, patet tres personas appellari posse *Patrem*, quia creatio est opus totius Trinitatis. Unde Deus dicitur *Job.* XXXVIII. 28. *Pater pluviae*. 2. Nomen habet *Ingeniti*; quia prima persona est principium sine principio, unde præter notionem *Paternitatis* habet etiam illam *Innascibilitatis*. Si vero nomen *ingeniti* transferatur ad significandam personam increatam commune est tribus personis, quia tunc non afficit personam, sed naturam, quæ in tribus una est æter-

æterna, et increata. 3. Habet quoque nomen *Principii*; quia, cum a nullo procedat, est tamen *principium* Filii, et simul cum Filio *principium* Spiritus Sancti. Unde in Concilio Florentino *Sess.* XXIII. dicitur *fons*, *et origo totius divinitatis*. Sic nomen *principii notionaliter* accipitur. Si vero dicatur *principium* in ordine ad creaturas, manifestum est, etiam reliquis personis convenire. Unde Filius dicitur *principium*, *Joan.* VIII. 25. *Principium*, *qui et loquor vobis*. Et tunc nomen *principii essentialiter* accipi dicitur.

§. II.

NOMINA SECUNDAE PERSONAE.

Q. Quot sunt secundæ personae Nomina?

℞. Plura sunt. 1. Habet nomen *Filii*; quia per æternam generationem procedit ex substantia Patris, *Psal.* CIX. *ante Luciferum genui te*. 2. Appellatur *Verbum*; nam verbum nuncupatur terminus intellectus; cum igitur secunda persona procedat, ut terminus paternæ intellectionis; hinc *Verbum* nominatur. 3. Habet nomen *imaginis* Patris. Et merito; nam 1. est Patri perfecte similis. 2. est terminus productus, et distinctus a Patre, 3. habet similitudinem cum Patre, vi processionis; nam ea est vis intellectus, a quo procedit Filius, ut objecta sibi similia efficiat. 4. aliquando a Veteribus secunda Persona appellata est *Spiritus*, sed ratione natu-

rae, non vero personae; siquidem *Spiritus est Deus. Joann.* IV. 24.

§. III.

Nomina Tertiæ Personæ.

Q. Quot sunt nomina tertiæ Personae?

℟. Multa sunt. 1. Dicitur *Spiritus S.* quia ex sancto amore Patris, et Filii procedit; *Spiritus* enim impulsum significat, unde ventus dicitur *spiritus*; at proprium amoris est impellere animam in rem amatam, ut observat S. *Thomas*. 2. Nuncupatur *donum* respectu creaturarum rationabilium, quibus donatur; et hoc nomen ipsi per *appropriationem* competit, quia donum est indicium amoris, ex quo Spiritus Sanctus procedit. 3. Appellatur *Paraclitus* h. e. *consolator*, eo quod charitatem in cordibus nostris diffundit. *Rom.* V. 5. *Diffusa est charitas in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*. 4. denique appellari solet *charitas*, *amor*, *vinculum*, *unio*, *complexus*; quæ omnia nomina ipsi ratione processionis per amorem conveniunt.

CAP.

CAP. VIII.

DE NECESSITATE NOTITIAE MYSTERII SS. TRINITATIS.

§. I.

NOTITIA MYSTERII SS. TRINITATIS EXPLICITA NECESSARIA EST NECESSITATE MEDII AD SALUTEM.

Q. Quotuplex esse potest notitia Mysterii SS. Trinitatis?

℟. Duplex, *explicita*, et *implicita*. Notitia *explicita* est ea, qua quis credit Deum esse unum in natura, et trinum in personis. Notitia *implicita* ea est, qua quis *explicite* credens Deum, qualis in se est, *implicite* crederet esse unum in natura, et trinum in personis. Hic utique nesciret in divinis esse unam naturam, et tres personas *realiter* distinctas; sed fides *explicita* Dei esset *implicita* Trinitatis.

Q. Quotuplex est necessitas?

℟. Duplex *medii*, et *praecepti*. Illud dicitur necessarium *necessitate medii*, sine quo finis nullo modo obtineri potest. Illud dicitum esse necessarium *necessitate praecepti*, sine quo, si inculpate præceptum ignoretur, adhuc finis potest obtineri.

Q. Quæ notitia Mysterii SS. Trinitatis, et qua necessitate exigitur ad salutem, post Evangelii promulgationem?

℟. Exi-

℟. Exigitur notitia *explicita* Mysterii SS. Trinitatis, ut necessaria *necessitate medii* ad salutem. Nam *Matth.* XXVIII. 19. et *Marci* XIVI. 16. ait Christus Apostolis: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. . . . qui crediderit, et bapizatus fuerit, salvus erit, qui non crediderit, condemnabitur*. Ergo Baptismus, et Fides in SS. Trinitatem sunt *medium*, sine quo nemo salutem æternam consequi potest.

Q. Si notitia *explicita* Mysterii SS. Trinitatis est necessaria *necessitate medii* ad salutem, quid erit de salute hominum pene innumerorum, qui illud ignorant?

℟. 1. Falsum est, innumeros esse homines, qui Mysterium SS. Trinitatis ignorant, cum potius innumeri sint fideles Christiani, qui inter prima fidei rudimenta hoc præcipue dogma, quantum satis est, edocentur. 2. Si sunt, qui illud ignorant, culpæ eorum tribuendum est: Nam hujusmodi homines aut sunt infideles *negativi*, et hi si servarent legis naturalis præcepta, gratia Christi adjuti, Deus, *qui non deficit in necessariis*, vel per Angelos, vel per interiorem revelationem iis patefaceret, quæ scitu sunt necessaria ad *salutem*; vel sunt infideles *positivi*, et hi possent ad Ecclesiam Christi, extra quam nulla salus esse potest, accedere, ut quæ sunt scitu necessaria ad salutem, cognoscerent.

CAP. IX.

UTRUM MYSTERIUM SS. TRINITATIS POSSIT COGNOSCI, ET DEMONSTRARI RATIONE NATURALI.

§. I.

MYSTERIUM SS. TRINITATIS NON POTEST COGNOSCI RATIONE NATURALI.

Q. MYsterium SS. Trinitatis potestne naturali ratione cognosci?

℟. Minime. Nam Scripturæ, et Patres ubique prædicant, illud Mysterium esse omnino absconditum, nec cognosci, nisi per fidem. *Matth.* XI. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Augustinus *lib.* XV. *de Trinitate cap.*6. *Qui disputandi modus, quaenam tandem vis intelligendi, atque potentia, quae vivacitas rationis, quae acies cogitationis ostendit, quomodo sit Trinitas?*

Q. Si Mysterium SS. Trinitatis non potest naturali ratione cognosci, quo pacto illius habuerunt notitiam nonnulli Gentiles Philosophi?

℟. 1. Falsum est, eos Gentiles Philosophos habuisse accuratam notitiam Mysterii SS. Trinitatis, ut demonstrant eruditi. 2. Si

Si aliquid de illo Mysterio obscure noverunt, ab Hebræis potuerunt accipere, apud quos peregrinati sunt.

§. II.

Mysterium SS. Trinitatis non potest naturali ratione demonstrari.

Q. Mysterium SS. Trinitatis potestne naturali ratione demonstrari?

R̸. Non potest. Nam 1. omnis demonstratio vel est a *priori*, nempe a caussa descendendo ad effectum, vel a *posteriori*, scilicet ab effectu ascendendo ad caussam. At neutro modo Mysterium SS. Trinitatis demonstrari potest, tum quia nullam habet caussam sui, tum quia creaturæ sunt effectus Dei, quatenus unus est, non vero quatenus trinus est. 2. Demonstratio vel fit *positive*, h. e. cognoscendo principia, et caussas rei, circa quam instituitur demonstratio, vel *negative*, solvendo omnes objectiones, quæ in contrarium fiunt. At Mysterium SS. Trinitatis non potest demonstrari *positive*, cum quid sit intrinsecus, cognosci non possit; neque *negative*, quia aliquando, quae objiciuntur, tantam habere videntur speciem veri, ut ratio sibi relicta haereat.

Q. Si igitur nequidem *negative* demonstrari potest Mysterium SS. Trinitatis, quo pacto dissolventur, quae ab haereticis contra illud objiciuntur?

 R̸. Dis-

R. Dis solvendae sunt haereticorum objectiones, semper prae oculis habendo *divinam revelationem*; scilicet maxime nobis connitendum est, ut saltem qua majori possit verisimilitudine, ostendamus, eorum argumenta non esse apodictica; quandoquidem hoc Mysterium est supra *rationem*, non vero contra *rationem*.

FINIS.

TRA

TRACTATUS

De Creatione

CAP. I.

De Creatione generatim.

§. I.

Creationis definitio, et possibilitas.

Q. Quomodo definitur *Creatio*?

R. Creatio stricte sumta definitur: *productio rei ex nihilo sui, et praeexistentis subjecti*, h. e. nec ipsa res, quae creatur, nec aliquod subjectum, ex quo fuerit composita, antea existebat. Dixi *stricte sumta*; nam si res aliqua, antequam efformaretur, non existebat, sed extabat materia, ex qua fuit compacta, illius productio diei solet *eductio*, et improprie *creatio*; sic statua non existebat, antequam efformaretur ab artifice, sed tamen extabat ferrum, vel lignum, a quo ope artis fuit efformata, ac proinde dicitur *educta*, nec potest, nisi improprie, dici *creata*.

Q. Creatio juxta modum explicatum estne possibilis?

R. Possibilis est; sed soli Deo. Dixi 1. *possibilis est*; nam transitus a nihilo ad existen-

tentiam, qui fit per hujusmodi creationem. nullam involvit contradictionem. Dixi 2. *sed soli Deo*; cum enim per talem *creationem* superanda sit distantia infinita quæ inter *nihilum*, et *existentiam* intercedit, hujusmodi actio non potest convenire, nisi soli Deo, qui virtute pollet infinita.

Q. Si creatio stricte sumta contradictionem non involvit, cur invaluit apud veteres adagium: *ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti?*

℞. Illo effato negatur enti finito virtus creandi, non vero enti infinito, et omnipotenti, ut est Deus, apud quem *non est impossibile omne verbum. Luc.* I. 37.

§. II.

CREATIONIS A DEO JAM PERACTÆ DEMONSTRATIO.

Q. Deus creavitne aliquid *creatione* stricte sumta?

℞. Quidquid extra Deum existit, a Deo creatum est creatione stricte sumta, estque dogma fidei. 1. *Genes.* I. *In principio creavit Deus cœlum, et terram*; quibus verbis Moyses ostendit, a Deo creatum esse, quidquid extra ipsum existit, h. e. quidquid in cœlo, et terra continetur. Quod vero Moyses locutus sit de *creatione* stricte sumta patet ex illo testimonio II. *Machab. cap.* VII. *Cœlum, et terram, et omnia, quæ in eis sunt, ex nihilo fecit Deus, et hominum*

num genus. 2. Patres Ecclesiæ constanter idem docuerunt. Sufficiat pro omnibus *Ambrosius*, qui *lib.* I. *Hexameron* . *cap.* 4. ait: *Deus momento imperii sui hanc tantam pulchritudinem mundi ex nihilo fecit esse, quae non erat, et non de extantibus, aut caussis donavit habere substantiam*. Unde Concilium Lateranense IV. definivit, quod Deus *utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, et corpoream* 3. Denique si quidquid existit extra Deum, non esset creatum a Deo, esset utique ens a se, h. e. alter Deus; quod est absurdum.

Q. Deus creavit ab aeterno, an in tempore, quidquid extra ipsum existit?

℞. De fide est, creasse in tempore, h. e. Mundum, et omnia, quæ in ipso sunt, non semper exititisse. *Proverb*. VIII. 22. ait Sapientia: *Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: nondum fontes aquarum eruperant. Necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terrae*. Unde Concil. Lateranense IV. definivit, Deum *ab initio temporis utramque creaturam, spiritualem, et corpoream* condidisse.

Q. Potuitne aliqua creatura creari a Deo ab aeterno?

℞. Circa hanc quaestionem digladiantur inter se Theologi. Nobis tamen magis arridet sententia eorum, qui asserunt creationem

ab aeterno esse impossibilem ; quod enim creatur, transit a non esse ad esse, ac proinde creatio significat rem antea non extitisse. Igitur repugnat creatio ab aeterno.

Q. Deus creavit ex necessitate, an libera voluntate quidquid extra ipsum existit?

℟. De fide est, creasse libera voluntate. Deus enim *Eph.* I. 11. *operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*, h. e. libera electione. Et Augustinus *lib. de fide contra Manich. cap.* 28., et 44. *Nullam*, ait, *necessitatem patitur Deus. Neque necessitate facit, quod facit, sed summa, et ineffabili voluntate, et potestate.*

§. III.

Dei conservatio, et concursus in ordine ad creaturas, earumque actiones.

Q. Sufficitne, res omnes semel a Deo creatas esse, ut perseverent existere, an indigent ipsius assidua conservatione?

℟. Dogma fidei est, creaturas omnes indigere assidua Dei conservatione, ut semel creatae perseverent existere. *Sap.* XI. 26. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Joan.* V. 17. *Pater usque modo operatur, et ego operor*; h. e. *servando, et administrando creaturam conditam*, ut explicat S. Thomas. Unde ait Augustinus *lib.* IV. *de Genes. ad lit. cap.* 12. *Dei virtus ab eis, quae creata sunt, regendis*

dis si aliquando cessaret, *omnes creaturae conciderent*. Et re quidem vera; omnis creatura est essentialiter, et quovis momento necessario pendens a Deo, ergo si in temporis momento cessaret Dei actio, h. e. voluntas, quae vult eam existere, continuo ad nihilum redigeretur. Hinc *Gregorius* M. *lib.* XIII. *Moral. cap.* 18. *Omnia*, inquit, *tenderent in nihilum, nisi ea manus omnipotentis conservarent*.

Q. Quomodo appellatur hæc conservatio Creaturarum a Deo?

℟. 1. Appellatur conservatio *positiva*, h. e. tribuens *positive* existentiam, ad differentiam conservationis *negativae*, quæ est mera non destructio rei, sicut homo dicitur *negative* conservare statuam, quia quamvis non tribuat illi existentiam, quod est *positive* conservare; tamen cum posset destruere, non destruit. 2. Dicitur *continuata creatio*; quia quemadmodum creatio fuit actus voluntatis Dei, quo res e nihilo produxit; ita conservatio est actus voluntatis Dei, quo vult res in sua existentia perseverare.

Q. Sufficitne creaturas habuisse a Deo potentiam agendi, ut agant, an indigent assiduo Dei concursu?

℟. Indigent assiduo, et quidem *immediato* Dei concursu, ut agant. *Act.* XVII *In ipso vivimus*, *movemur*, *et sumus* h. e. Deus concurrit ad omnes omnino actiones creaturarum cujuscumque generis, sive illæ creaturæ sint rationales, sive irrationales. Dixi; *et quidem immediato*; nam Deus ita concurrit ad actio-

nes omnium creaturarum, etiam liberas, quæ fiunt ab hominibus, ut opera ipsorum dicantur opera Dei. *Isaiae* XXVI. 12. *Domine.* . . . . *omnia opera nostra operatus es nobis*. Et revera Creaturæ in quolibet statu indigent assidua Dei conservatione, ut supra dictum est; ergo etiam cum agunt. Hæc conservatio, sive actio Dei cum creatura agente est concursus *immediatus*, quo dicimus, creaturas indigere in actionibus suis.

CAP. II.

DE CREATIONE SPECIATIM, ET PRIMO DE SUBSTANTIIS MERE SPIRITUALIBUS; H. E. DE ANGELIS.

§. I

NOMINIS ANGELORUM SIGNIFICATIO, ET EORUM EXISTENTIA.

Q. Quid significat hoc nomen, *Angelus*?

℞. *Angelus* est vox idem significans, quod latine, *nuntius*. Unde si vis vocabuli attendatur, est nomen *officii*, non *naturae*, ut ait *S. Gregorius Homil.* 34. *in Evang.*, et ideo in Scripturis tribuitur cuicumque, qui Dei voluntatem, aut legem nuntiat. Sic de Joanne Baptista *Malach. III*; et *Matth.* XI. legitur: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Sed quia ministerium nuntiandi ordinarie com-

mittitur a Deo spiritibus coelestibus, hinc peculiari vocabulo spiritus illi coelestes appellantur *Angeli*.

Q. Existuntne hujusmodi Angeli?

℞. Negarunt antiqui Philosophi; et Sadducæi *Act.* XXIII. dicentes, *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*. At nos dicimus, dogma fidei esse, Angelos existere. Nihil enim in Scripturis occurrit frequentius, quam Angelorum mentio. *Genes.* XV.. 7. *Cum invenisset eam* (*Agar*) *Angelus Domini juxta fontem aquae in solitudine*. Ibidem XIX. 1. *Venerunt duo Angeli Sodomam*. Quae testimonia, et alia his similia ex libris *Pentateuchi* depromta faciunt praesertim contra Sadducaeos, qui solum *Pentateuchum*, ut divinitus inspiratum agnoscunt Absinemus ab aliis locis S. Scripturae in re clarissima. Unde Augustinus in *Psal.* CXXX. *Angelos*, ait, *novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum legimus, nec inde dubitare fas nobis est*. Et Concil. Lateranense IV. *cap. Firmiter*, sic definivit. *Firmiter credimus . . . quod Deus . . . ab initio temporis simul utramque condidit de nihilo creaturam spiritualem, et corpoream, Angelicam videlicet, et mundanam*.

Q. Si existunt Angeli ab initio temporis creati, cur Moyses in historia creationis Universi nullam eorum mentionem facit?

℞. Non facit mentionem *explicitam*, sed *implicite* etiam ipsorum mentionem facit, cum inquit: *creavit Deus cœlum, et terram*, h. e.

 quid-

quidquid in cœlo, et terra continetur, ac proinde etiam Angelos. Ideo vero non *explicitam* mentionem eorum facit, quia Hebræi, quos ipse cultum veri Dei edocebat, utpote homines carnales, spiritualia minime intelligebant; unde satis fuit Moysi describere visibilia, et corporea, ut adstrueret, Deum esse rerum omnium creatorem.

§. II.

TEMPUS, AC LOCUS, IN QUO ANGELI CREATI SUNT, ET IPSORUM NUMERUS.

Q. Quandonam Angeli creati sunt?

℟. Angeli creati sunt simul cum Mundo corporeo, non vero ante Mundum corporeum; alioquin falsa essent illa *Genes.* I. 1. verba: *In principio creavit Deus cœlum, et terram*; siquidem in *principio*, h. e. ante omnia creasset Angelos. Hinc Augustinus *lib.* XI. *de Civit. cap.* 6. *Porro Sacrae historiae, maximeque veraces ita dicunt, in principio fecisse Deum cœlum, et terram, ut nihil antea fecisse intelligatur.*

Q. Estne hæreticum asserere, Angelos ante Mundum creatos esse?

℟. Si quis id assereret in sententia *Origenis*, qui opinabatur, Angelos longe ante Mundum creatos esse; deinde ex iis nonnullos ob quaedam scelera in eo statu patrata, a Deo in corpora, veluti in carceres, fuisse detrusos, ut pœnas suorum scelerum luerent, hic utique sententiam proferret hæreti

ticam, utpote damnatam in Concil. Lateranensi IV. *cap. Firmiter* . Si vero quis teneat, Angelos ante mundum corporeum creatos esse, sed non in *Origenis* sententia, mox explicata, hic utique hæreticus non esset, sed recederet a communi Theologorum consensu . Dixi ; *haereticus non esset* ; nam non defuerunt Patres Ecclesiæ, præsertim Græci, id asserentes, et præcipue *Gregorius Nazianzenus orat.* XXXVIII. , quos credibile non est Concil. Lateranense IV. damnare voluisse.

Q. Quonam loco Angeli creati sunt ?

℟. De loco, in quo Angeli creati sunt nihil certi statui potest, cum sileant in hac re Scriptura, et Traditio, quibus solis modis patere nobis possunt, quae a libera Dei voluntate pendent . Augustinus *lib.* III. *de Genes. ad lit.* opinatur, creatos esse in superiori aeris regione . S. Thomas I. P. q. CCCCXI *art.* 4. sentit, in cœlo Empireo fuisse creatos . Utraque opinio incerta est.

Q. Quis est Angelorum numerus ?

℟. Juxta S. Scripturam, et concordem Patrum sententiam maxima, et stupenda est Angelorum multitudo . *Daniel.* VII. 10. *Millia millium ministrabant ei , et decies centena millia assistebant ei* . *Apoc.* V. *Erat numerus eorum millia millium* ; quibus verbis, ut notat *Hieronymus* , non definitus, sed immensus innuitur Angelorum numerus . Unde post Dionysium *de Cœlesti Hierarch. cap.* 14. S. Thomas docet : *Substantias in-*

corporeas omnem *multitudinem materialium specierum transcendere*. Quantus vero sit eorum numerus, temerarium est definire.

§. III.

ANGELORUM ORDINES, ET DIFFERENTIA.

Q. Daturne ordo inter Angelos?

℞. Utique datur. Si enim Deus omnia hic visibilia, et infima fecit *in numero, pondere, et mensura*; multo magis cœlestem patriam ex innumerabili spirituum multitudine constantem miris modis ordinasse existimandum est.

Q. Quomodo in ordines distinguuntur Angelis?

℞. Scriptura, et Patres novem constanter recensent Angelorum ordines, nempe *Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim*, et *Seraphim*, quos *Dionysius* Areopagita in tres *Hierarchias* distinguit, ita ut unaquæque tribus ordinibus constet. In suprema *Hierarchia* sunt *Cherubim*, *Seraphim*, et *Throni*. In media *Dominationes*, *Virtutes*, et *Potestates*. In infima *Principatus*, *Archangeli*, et *Angeli*.

Q. Daturne differentia tum inter Angelorum ordines, tum inter ipsos Angelos?

℞. Certum est dari 1. inter Angelorum ordines; alioquin non esset in illis ordo, sed confusio. 2. inter ipsos Angelos; alias non es-

essent personae distinctae una ab altera . In quo vero posita sit ea differentia, quaestio est valde impedita . Nobis tamen , relictis in Scholis controversiis , placet dicere cum Augustino Doctorum Maximo *lib. contra Priscillian. cap.* II. *Esse Sedes , Dominationes , Principatus , et Potestates in Cœlestibus Spiritualibus firmissime credo , et differre inter se aliquid indubitata fide teneo , sed quaenam ista sint , et quid inter se differant , nescio* .

CAP. III.

De Natura , et proprietatibus naturalibus Angelorum .

§. I.

Angeli sunt mere spirituales , et immortales .

Angeli sunt spirituales , an corporei ? ℟. Angeli sunt mere spirituales . Nam legitur *Psal.* VIII. de homine ; *Minuisti eum paulo minus ab Angelis* , h. e. homines sunt Angelis ignobiliores . At si Angeli essent corporei , ipsi forent ignobiliores hominibus; nam homines, quamvis habent partem sui corpoream, scilicet corpus , tamen habent alteram partem spiritualem , nempe animam , ob quam essent Angelis corporeis nobilio-

fiores, quod est contra Scripturae sententiam. Dixi *mere spirituales*; Angeli enim nullis corporibus *naturaliter* conjunguntur, ut anima humana naturaliter unitur corpori humano. Siquidem Scriptura vocat Angelos absolute *Spiritus*. *Psal.* CIII. *Qui facit Angelos suos spiritus.* At si essent alicui materiae *naturaliter* conjuncti, non possent appellari absolute *Spiritus*. Nemo enim hominem ex anima, et corpore constantem unquam absolute, et simpliciter *Spiritum* appellavit.

Q. Si Angeli sunt mere spirituales, cur nonnulli Patres docuerunt, eos habere corpora subtilissima?

℟. Si nonnulli Patres fuerunt in ea sententia, id accidit, antequam universae Ecclesiae sensus de hac re patuisset declaratus in Concil. Lateran. IV. ubi *Cap. Firmiter* definitum est, quod *Deus ab initio temporis utramque condidit substantiam spiritualem, et corpoream, nempe Angelicam, et Mundanam*.

Q. Si Angeli nullis corporibus sunt conjuncti, quo pacto legitur in Scripturis, eos aliquando apparuisse hominibus, cum eis locutos fuisse, et manducasse?

℟. Apparuerunt in specie aliena; h. e. in corpore, quod sibi ex crassiori aere coaptabant. In quo corpore substantia Angelica non erat, ut *forma* corporis, qualis est anima in corpore humano, sed ut gubernatrix in corpore ad tempus assumto. Unde actiones edendi, et bibendi non erant actiones vitales,

les , nec cibus in alimentum convertebatur . Hinc Angelus *Raphael* dixit *Tobiae* : *videbar quidem manducare . . . sed ego cibo invisibili utor* . Propterea diximus supra , eos non *naturaliter* alicui corpori conjungi .

Q. Angeli sunt mortales , an immortales ?

℟. Sunt immortales tum ab *intrinseco* , tum ab *extrinseco* h. e. neque in se ullum habent principium corruptionis , neque unquam a Deo destruentur , quamvis ab eo destrui possent . Primum patet ; nam Angeli sunt spirituales ; at quod est spirituale , cum nullas habeat partes , quæ corrumpi possunt , excludit principium corruptionis . Alterum est dogma fidei ; malis enim Angelis supplicium aeternnm definitum est . *Matth*. XXV. 41. *Ignis aeternus paratus Diabolo , et Angelis ejus* ; bonos vero Angelos , quemadmodum et justos homines merces aeterna in coelis manet . Nunquam igitur Angeli destruentur .

Q. Si Angeli sunt immortales tum ab *intrinseco* , tum ab *extrinseco* , cur Patres docent , eos esse immortales non *natura* , sed *gratia* ?

℟. Angeli dicti sunt immortales non *natura* , sed *gratia* 1. quia donum Dei est , quod talem naturam habeant , quæ principium corruptionis excludit . 2. quia gratia Dei est , quod, cum Deus absolute possit eos destruere , non destruat . Et hoc sensu quoque dicitur . I. *Tim*. VI. 16. *Solus Deus habet immortalitatem* ; nempe a seipso , non

vero

vero ex alterius beneficio.

§. II.

De Intellectu Angelorum.

Q. Angeli habentne intellectum?

℞. Perspicuum est, habere intellectum; tum quia ipsorum substantia spiritualis est, cui est essentialis intellectus; tum quia *Matth.* XVIII. 10. legitur. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*; hoc est, cognoscunt per intellectum lumine gloriæ roboratum.

Q. Quinam est modus, quo Angeli res naturaliter cognoscunt?

℞. Verisimilius est, eos res naturaliter cognoscere non per ratiocinationem, nimirum gradatim, primum caussas, deinde effectus cognoscendo; sed per simplicem *intellectionem*, h. e. simplici actu effectus in caussis, et caussas in effectibus intelligendo. Si enim homines, qui sunt ingenio præstantes, plura hoc modo cognoscunt; multo magis Angeli, qui ingenium habent acutissimum, quæ naturaliter vident, cognoscunt per *simplicem intellectionem*.

Q. Quænam sunt illæ res, quas Angeli naturaliter cognoscunt?

℞. Cognoscunt res omnes existentes per generales ideas ipsis a Deo impressas in eorum creatione. Dei enim *perfecta sunt opera*. *Deuter*. XXXII. 4. At cognitio rerum omnium existentium saltem per ideas generales erat necessaria ad perfectionem naturæ in-

intelligentis. 2. Cum naturaliter caussas in suis effectibus cognoscant, ut supra dictum est, sequitur eos naturaliter cognoscere Deum in creaturis. 3. Cognoscunt etiam res præsentes, quæ fiunt in Mundo; alioquin quomodo possent jussa Dei facere? *sunt enim administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis. Heb. I. 4.*

Q. Angeli cognoscuntne naturaliter res futuras?

℟. Res futuræ triplicis sunt generis. *Nonnulæ necessario* sunt futuræ, nisi a Deo per miraculum impediantur, ut solis ortus, cursus, et occasus. Quædam sunt *probabiliter* futuræ, positis quibusdam caussis, ut Cœli serenitas, vel pluvia. Aliae denique sunt omnino *liberae*, et *contingenter* futuræ, ut actiones ab hominis libero arbitrio pendentes. Igitur Angeli 1. *certo* cognoscunt res futuras primi generis in suis caussis, a quibus pendent. 2. *Probabiliter* cognoscunt res futnras secundi generis; ea tamen majori probabilitate, quo perfectius caussas, a quibus pendent, intelligunt. 3. Nullo pacto cognoscunt res futuras tertii generis; tum quia notitia rerum *libere*, et *contingenter* futurarum est character divinitatis. *Isaiae* XXI. 23. *Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dei estis vos*; tum quia eas res neque cognoscere possunt in caussis, a quibus omnino *libere* pendent, neque in seipsis, quia non sunt *actu* existentes, sed futuræ.

Q. Si Angeli non cognoscunt res *libere*, et *contingenter* futuras, cur Dæmones non-

nulla

nulla prædixerunt, quorum veritatem probavit eventus?

℞. Dœmonum prædictiones vel respexerunt res *necessario* futuras; vel res *probabiliter* futuras, quas ex quadam conjectura prædixerunt; vel si spectarunt res omnino *libere*, et *contingenter* futuras, ita fuerunt ambigua eorum oracula, ut in utramque partem accipi potuissent, ut est illud: *Ajo, te, Aeacida, Romanos vincere posse*.

Q. Angeli cognoscuntne naturaliter intimas hominum cogitationes?

℞. Minime. Nam III. *Reg.* VIII. 59. dicitur de Deo. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum*. Et Augustinus *Serm.* XVI. *de Divers. Cor videre Dei est, cujus oculis cuncta subjecta sunt*.

Q. Angeli cognoscuntne se invicem?

℞. De fide est Angelos se invicem cognoscere, et secum invicem loqui, h. e. cogitationes suas communicare, alterum alteri. Id enim expresse habetur ex Scripturis. *Isaiae* VI. 3. *Seraphim clamabant alter ad alterum*. Et alibi idem repetitur sæpius. Quo vero pacto secum invicem loquantur, h. e. cogitationes communicent, incertum est; cum neque Scriptura, neque Traditio de modo illius locutionis aliquid affirment.

§. III.

§. III.

De Voluntate Angelorum.

Q. Angeli habentne voluntatem?

℟. Manifestum est habere voluntatem, quia sunt substantiæ spirituales, et intelligentes. Ergo etiam volentes, h. e. voluntate præditæ.

Q. Estne libera Angelorum voluntas?

℟. Multiplex distinguenda est libertas. 1. libertas dividitur in libertatem *contrarietatis*, qua possunt eligi *contraria* bonum, et malum, et in libertatem *contradictionis*, quæ versatur circa duo *contradicentia*, ut sunt amare, vel non amare. 2. Libertas *contradictionis* dividitur in libertatem *specificationis*, qua inter media, quibus finis comparari potest, unum præ alio potest eligi; et in libertatem *exercitii*, qua unum medium jam electum potest variis modis adhiberi; ex gr. majori, vel minori voluntatis ardore. His explicatis. Angeli quandiu fuerunt in statu viæ, h. e. nec boni donati erant æterna beatitudine, nec mali pœnis æternis addicti, pollebant libertate in omni sensu; alioquin nec illi fuissent digni mercede, nec isti supplicio; ubi enim libertas non est, nec merces, nec supplicium locum habent. At postquam Angeli boni ad visionem Dei fuerunt admissi, et Angeli mali in sempiternum ignem detrusi, utrorumque voluntates manserunt immutabiles, illorum in bono, sive in amore-

non possit ex Scriptura , et Traditione definiri , libenter omittitur a nobis , qui , ut monet *Estius*, *de Angelis non humanis rationibus pronuntiamus , sed tantum asserimus , quantum Scripturae Sacrae* , et *majorum auctoritas nobis praelucet* .

§. V.

De Vi , et potentia Angelorum .

Q. Angeli habentne vim movendi corpora ?

℞. Habent . Nam constat ex Scriptris, Angelum percussisse de exercitu *Sennacherib* centum octoginta quinque millia IV. *Reg.* XIX. 35. Et Satanam quoque ignem de Cœlo deduxisse , et diruisse domum , in qua filii Job epulabantur . *Job*.I. Imo miris modis corpora obsessorum agitare , ex Evangelio discimus .

Q. Angeli possuntne pro libito suo uti vi , et potestate , quam habent , movendi corpora ?

℞. Minime ; si enim ea vi , et potestate pro libito uti possent , Angeli mali , utpote generi humano infensissimi , brevi tempore illud destruerent . Unde Augustinus *lib.* III. *de Trin. cap.* 8. ait : *Non est putandum , istis transgressioribus Angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam* . Igitur uti possunt sua vi , et potentia , quantum Deus pro sua sapientia , et justitia permittit .

Q. An-

Q. Angeli habentne virtutem creandi aliquid ex nihilo ?

℟. Non habent. Nam, ut diximus supra, creatio est opus infinitæ virtutis, quæ utique solius Dei est.

Q. Angeli habentne virtutem patrandi miracula ?

℟. Vera miracula patrare non possunt. Nam verum miraculum est opus contra generales naturae leges a sapientissimo Mundi creatore constitutas. Unde si miracula quædam narrantur ope Angelorum malorum, nempe Dæmonum, perpatrata, censendum est ea vel fuisse humanæ phantasiæ illusiones, vel non superasse Dæmonum vires; ac proinde contra generales naturæ leges non pugnasse; vel, si vera fuerunt miracula, soli Deo adscribenda.

§. VI.

De fine ob quem creati sunt Angeli.

Q. Quinam est finis, ob quem creati sunt Angeli ?

℟. Creati sunt 1. ut æternam beatitudinem consequerentur. 2. ut divinas laudes canerent. 3. ut homines, praesertim praedestinatos, adjuvarent, et custodirent. Unde dicuntur. *Heb.* I. 4. *In ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis.*

CAP.

C A P. IV.

De proprietatibus supernaturalibus Angelorum in statu Viæ; deinde de merito bonorum, et culpa malorum.

§. I.

De Angelorum gratia in statu viæ.

Q. ANgeli omnes habueruntne gtatiam sanctificantem in statu viæ?

℟. Angeli omnes habuerunt gratiam sanficantem in statu viæ; et quidem in ipsa creatione. Nam Angeli boni meruerunt beatitudinem. At principium meriti est gratia sanctificans. Rursus Angeli mali *Joan.* VIII. 44. *Dicuntur non stetisse in veritate*, h. e. exponente *Chrysostomo*, *Hom.* 53. *in Joan.* non permansisse in justitia, et sanctitate. Ergo gratiam sanctificantem acceperant. Dixi; *et quidem in ipsa creatione*; Nam *Ezech.* XXVIII. Propheta alloquens Luciferum sub persona Regis *Tyri* juxta communem Patrum interpretationem ait: *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te*. Et Augustinus *Lib.* XII. *de Civit. cap.* 9. ait: *Bonam voluntatem quis fecit in Angelis, nisi ille, qui eos cum bo-*

na voluntate, *idest cum amore casto*, *quo illi adaeserunt*, *creavit?*

Q. Angeli in statu viæ præter gratiam sanctificantem habueruntne gratiam actualem?

R̸. Utique habuerunt. Etenim ipsis necessaria erat, ut primo momento, quo libere operari incipiebant, ad Deum converterentur, cum non possent per vires naturales actum illum supernaturalem elicere. At *Deus non deficit in necessariis*. Ergo largitus est Angelis actualem gratiam.

Q. Cujus speciei fuit illa gratia actualis, quam Deus largitus est Angelis?

R̸. Controvertitur in Scholis. *Thomistae* contendunt Angelos, qui permanserunt, habuisse gratiam, quæ certo, et infallibilliter, quamvis non necessario, illorum voluntates ad bonum determinavit, quæ appellatur gratia *efficax*; Angelos vero, qui ceciderunt, habuisse gratiam, quæ dedit illis potentiam ad perseverandum in accepta justitia, sed non operationem ipsam, quam gratiam Theologi *sufficientem* appellant. *Augustiniani* e contrario, docente Augustino, sentiunt ejusdem speciei adjutorium omnibus Angelis donatum fuisse, quod talis erat naturæ, ut sine eo permanere non possent in bono; cum eo vero permanere, vel cadere in ipsorum positum erat arbitrio. Quæ sententia magis nobis arridet; tum quia innititur auctoritate *Augustini*, qui cæteris omnibus præferendus est in rebus ad gratiam pertinentibus; tum quia necessitas gratiæ efficacis in nobis ad *actu* perandum repetenda est ex infirmitate na-

ræ humanæ per peccatum vitiatæ, quæ infirmitas, aut aliud vitium, non habebat locum in Angelis.

§. II.

De merito bonorum Angelorum, et culpa malorum.

Q. Angeli meruerunt ne per gratiam actualem, quam ipsis Deus largitus fuit, ut in accepta gratia sanctificante perseverarent?

℟. In primo creationis momento, imo in ipso actu deliberato, omnes Angeli recte usi sunt gratia actuali; et meruerunt. Unde Diabolo dictum est ab *Ezechiele* XXVIII. 15. sub figura Regis Tyri: *Ambulasti perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te*; quæ verba demonstrant, ipsum aliquando recte se gessisse, ac proinde meruisse. Sed postea alii per perseverantiam hoc meritum servarunt, alii per peccatum illud amiserunt.

Q. Quodnam fuit primum peccatum malorum Angelorum?

℟. *Estius* in II. *Dist.* VII. 55. 11. septem recenset opiniones circa primum malorum Angelorum peccatum. Ipse tamen statuit fuisse superbiam, quam sententiam et nos amplectimur. Nam aperte docet Scriptura *Eccl.* X. 15. *Initium omnis peccati superbia*. *Job.* IV. 14. *in superbia sumpsit initium omnis perditio*. Hinc etiam Augustinus *Lib. XII. de Civit. cap.* 6. *Ab illo*

ait, *qui summum est*; *aversi*, *ad seipsos conversi sunt* . . . . . *et hoc vitium quid aliud*, *quam superbia nuncupatur*? In quo vero sita fuerit illa superbia, non est aeque certum. Alii volunt, quod appetierint aequalitatem cum Deo; alii similitudinem. *S. Thomas* putat superbiam malorum Angelorum in eo sitam fuisse, quod vel propriis viribus aeternam supernaturalem felicitatem adipisci voluerint, vel rejecto fine supernaturali, in fine inferiori naturae viribus conquieverint, ut quemadmodum Deus beatus est non alieno beneficio, sed sua natura, ipsi quoque eadem ratione forent beati; quod utrumque superbiae peccatum est.

Q. Quot numero sunt Angeli mali, qui per peccatum in accepta justitia non perseverarunt?

℟. Innumeri sunt Angeli mali, ex variis ordinibus. Nam de Diabolo, cujus vel suasione, vel exemplo in idem superbiae peccatum lapsi fuerunt alii Angeli, legitur *Apoc.* XII. 4. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum Cœli, et misit eas in terram*. Quod vero ex variis ordinibus ceciderint, patet passim ex Scripturis, in quibus Daemones modo ex uno, modo ex alio ordine dicuntur fuisse. Quantus vero sit illorum numerus, et quo praecise ex ordine fuerunt, nequit definiri, cum Scriptura omnino sileat. Illud tamen certum est, majorem esse numerum eorum, qui steterunt, quam qui ceciderunt, cum Angeli mali dicantur, ut su-

pra

pra notatum est, *tertia pars Cœli*, h. e. exponente Augustino *lib.* XI. *de Civit. cap.* 23. *minor numerus ad eos, qui perseveraverunt, relatus*.

CAP. V.

De poena, quam Deus inflixit Angelis Rebellibus.

§. I.

Poena, quam patiuntur Angeli rebelles, est ignis aeternus.

Q. Quam poenam inflixit Deus Angelis peccantibus?

℞. Poenam *ignis aeterni*. Siquidem *Matth.* XXV. 41. Christus in extremo judicii die sic dicturus erit impiis hominibus. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus*. Ergo Diabolus, et Angeli ejus, h. e. socii in peccato, patiuntur ignem aeternum. Ne vero quis crederet, ut *Origines* erravit, ignem quidem futurum aeternum, sed Angelos malos aliquando ab illo evasuros, subdit Christus, illud supplicium aeternum futurum. *Et ibunt hi in supplicium aeternum*. Quod et unamini consensu docuerunt Patres. Sufficiat pro omnibus Fulgentius *lib. de fide cap.* 43. *Firmissime*, ait, *tene, omnes iniquos ituros in combustionem aeternam*. Nec deest ra-

tio Theologica; siquidem peccatum Angelorum malorum fuit offensa Dei infinita. Cum igitur illi non potuerint puniri poena infinita, quoad *acerbitatem*, cujus, utpote creaturae finitae, non erant capaces, inflicta est illis poena infinita quoad *durationem*, nempe aeterna.

Q. Si poena Dæmonum est aeterna, quo pacto Deus in Sacris Litteris describitur, ut summe misericors?

℟. Deus summe misericors est erga creaturas, quamdiu sunt in statu viæ; sed cum Angeli mali jam ad terminum pervenerint, erga ipsos solum locum habet justitia, *in inferno enim nulla est redemtio*. Ceterum etiam in inferno citra condignum puniens relinquit aliquem misericordiæ locum.

§. II.

Proprietates ignis, quo Daemones torquentur, et ipsius locus.

Q. Ignis inferni estne corporeus?

℟. Certum est, esse corporeum; et contraria opinio saltem erronea, et *scandalosa* est; non tamen est de fide. Dixi 1. esse *corporeum*, nam ex doctrina Augustini, verba sacræ Scripturæ in sensu obvio, et litterali sunt intelligenda, cum ita intellecta non opponantur aliis locis ipsius Scripturæ clarioribus. Cum igitur nullus alius locus inveniatur, in quo dicatur ille ignis intelligendus in sensu metaphorico; sequitur esse accipiendum pro igne materiali, et

et corporeo. Dixi 2. *et contraria opinio saltem erronea et scandalosa est*; quia opponitur constanti Theologorum sententiae, et fidelium sensui. Dixi 3. *non esse ex fide*; tum quia nulla de ea re extat Ecclesiae definitio; tum quia *Catharinus*, qui sequi videtur *Ambrosium*, qui ait *lib.* VII. *in Euc.* *Neque ignis, neque vermis corporeus est*, non fuit damnatus ab Ecclesia.

Q. Angeli sunt substantiae spiritales, quomodo possunt cruciari igne materiali?

℟. Quemadmodum in homine, lacerato corpore, spiritus dolet; ita Deus potest substantias spiritales ita igni alligare, ut ab ipso crucientur. Quamvis quo pacto id fiat, neque intelligere, neque explicare possimus. *Spiritus igitur incorporei poena ignis affliguntur miris, sed veris modis*, ut ait Augustinus *lib.* *XXI.* *Civitate cap.* 10.

Q. Quonam loco collocatus est hic ignis, quo Daemones torquentur?

℟. In terrae visceribus. 1. Quia II. *Pet.* II. 4. legitur, quod *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. 2. Quia ubicumque in sacris litteris describitur locus poenae tum Daemonum, tum aliorum damnatorum appellatur *abyssus*, *infernus*, *tartarus*; quae utique verba nonnisi terrae viscera designant.

Q. Ardentne omnes omnino Angeli rebelles in eo igne in terrae visceribus collocato?

℟. Minime. Nam multi ex Angelis rebel-

libus adhuc super terrae super faciem, et per aerem vagantur, usque ad extremum judicii diem. Qua de re apertissima sunt Scripturae testimonia. *Job*. I. *et* II. Sat an interrogatus a Deo, *Unde venis?* respondit: *Circuivi terram, et perambulavi eam*. Et *Eph*. II. 2. Apostolus appellat Diabolum *principem potestatis aeris hujus*. Patet insuper ex obsessione, et tentatione Daemonum, quas Scriptura saepe commemorat.

Q. Si non omnes Angeli sunt in inferioribus terrae partibus, quomodo igne inferni crucientur?

℞. Quemadmodum non omnes Angeli boni sunt in coelis, sed plurimi super terram, quia in ministerium missi ad hominum salutem; et tamen de iis pronuntiat Christus *Matth*. XVIII. 10. Quod *vident faciem Patris*, h. e. sunt beati; ita non omnes Angeli mali in terrae visceribus detinentur, et tamen ii, qui super terram, et per aera vagantur, poenam ignis patiuntur; non quatenus secum ignem ferunt materialem, sed ipsa tormenta poenalia, semperque cogitationi eorum adest ignis ille, cui jam se sciunt alligatos.

CAP.

C A P. VI.

De Custodia bonorum Angelorum, et Impugnatione malorum Angelorum, sive Daemonum, respectu hominum.

§ I.

Datur Angelorum bonorum custodia respectu hominum.

Q. DAnturne Angeli boni custodes hominum?

℟. De fide est, dari Angelos bonos hominum custodes. *Psal.* XC. *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* *Judith.* XIII. 20. *Custodivit me Angelus ejus.* Idem dogma fidei confirmatum esse constat ex perpetua Ecclesiae Traditione.

Q. Quinam sunt illi, quibus Deus deputat custodes Angelos?

℟. 1. Certum est, singulos fideles habere custodem Angelum, praesertim electos. Nam generatim omnibus fidelibus pusillis deputatos esse custodes Angelos, patet *Matth.* XVI. 10. ubi Christus ait: *Angeli eorum*, h. e. pusillorum, *semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*. Deinde praesertim electos ope Angelorum ex variis malis liberatos fuisse liquet, excurrendo per Sacras Litteras, ut de *Petro*, *Jacob*, *Judith*, le-

gere est. 2. Probabilius est hominibus etiam infidelibus mitti a Deo custodes Angelos, *Hieronymus* in *cap.* XVIII. *Matth.* absolute pronuntiat. *Magna dignitas animarum, ut habeat unaquaeque ab ortu suae nativitatis Angelum deputatum*. Quod et Patres caeteri docuerunt, ut *Ambrosius*, *Bernardus*, aliique. 3. Probabilius quoque est singulas Civitates, et Regna ab Angelis custodiri. Nam *Daniel.* X. 13. *et* 20. mentio fit Angeli Regni Graecorum, et Angeli Regni Persarum. Unde Theodoretus *Quaest.* III. in *Genes.* inquit: *Cuique genti Angelum praeesse affirmat Scriptura*.

Q. Quaenam sunt officia, quae erga nos praestant Angeli custodes?

R. 1. Illuminant intellectum, quatenus veritates accommodant ad captum nostrum, et voluntatem excitant ad bonum hortando, et suadendo, boni occasiones subministrando, et peccati occasiones avertendo. Ita habetur *Genes.* XVI. et XVIII. *Judith.* XVII. *Job.* VI. XI., et XII., et alibi. 2. Preces nostras, et vota Deo offeruut. *Job.* III., et XII. *Apoc.* VIII. non ut eas Deus cognoscat, sed ut preces suas nostris precibus jungant. 3. Damna externa avertunt, juvant in periculis, in bello, praesertim in morte, fugant morbos, pestilentias, et cet. *Genes.* XLVIII. IV. *Reg.* VI. et XIX. *Job.* VI., et alibi. 4. Arceat, aut coercent Daemones, ne noceant, quantum vellent. *Job.* VI. et VIII.

Q. An.

Q. Angeli custodes debent dici ministri Dei, an hominum?

℞. Proprie loquendo debent dici Ministri Dei. Unde *Chrysostomus* exponens illud Apostoli *Heb.* I. 14. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi*, ait: *Angelorum munus est ministrare Deo ad nostram salutem*. Sicut opilio, licet custos sit ovium, tamen non est minister earum, sed minister est Domini sui ad opus custodiendi oves, ut ait *Estius in lib. II. Dist. X. §. I.*

§. II.

Dæmones impugnant, et tentant homines.

Q. Estne certum Dæmones impugnare, et tentare homines?

℞. Certissimum est; tum propter invidiam, qua flagrant contra genus humanum, erga quod Deus infinita usus est misericordia, quam juxta inscrutabilia sua judicia in ipsos non exercuit; tum ob superbiam ipsorum propriam, ne homines ad eum celsitudinis gradum perveniant, a quo ipsi, sine spe redeundi, fuerunt dejecti. Unde I. *Pet.* V. 8. monemur, ut sobrii simus, et vigilemus, et fortes in fide resistamus Diabolo, *qui tamquam leo rugiens, circuit, quærens, quem devoret*. Idque unusquisque fateri cogitur ex infelici quotidiana experientia.

Q. Dæmones possuntne pro libito suo im-

pugnare, et tentare homines?

℟. Minime; sed quantum Deus pro sua sapientia, et justitia patitur, vel in vindictam impiorum juxta illud *Psal.* LXXVII. *Misit in eos iram indignationis suae; indignationem, et iram, et tribulationem, immisiones per Angelos malos*; vel ad exercitationem bonorum, ut patet exemplo *Jobi*, et aliorum hominum sanctitate vitæ spectatorum. Nec tamen Deus denegat adjumenta, quibus tentationem superare possimus; præsertim si ipsum enixe oremus in oratione Dominicali: *Ne nos inducat in tentationem*, h. e. tentationi ne succumbamus.

Q. Danturne energumeni, h. e. homines a Dæmone possessi, seu *obsessi*, ut inquiunt?

℟. 1. Hæreticum est, negare energumenorum, sive hominum a Dæmone possessorum existentiam; ut patet cuique Evangelium percurrenti, ubi centies commemoratnr, Christum Dæmonia ab hominibus ejecisse, et ipsos nefarios spiritus, jubente Christo corporibus abscessisse, restituta energumenis sanitate. Et patet etiam, tum ex ex Patrum unanimi consensu, tum ex fide Ecclesiæ, quæ semper habuit *Exorcistas*, et *Exorcismos* ad Dæmones fugandos. 2. Sæpe tamen accidit, homines pro energumenis haberi, h. e. existimari a Dæmonibus obsessos, cum experientia doceat, eos potius tetro malancholiae humore laborare, vel alio morbo, qui phantasiam vitiat, teneri, quo opportunis medicamentis curato, illi ad pristinam sani-

tatem

tatem redierunt.

CAP. VII.

De Creatione substantiæ mere corporeæ, h. e. Mundi Materialis.

§. I.

Mundi materialis creatio fuit successiva, non vero instantanea.

Q. Mundi materialis creatio facta fuit in instanti, an continuis sex diebus, ut est relatum in *Genes*. I?

℟. Multum probabile est, sex distinctis diebus factam esse mundi materialis creationem; sed non est de fide. Nam 1. Verba Scripturae in sensu obvio, et litterali accipienda sunt, cum sic accepta non opponuntur aliis Scripturæ locis clarioribus, ut docet *Augustinus lib*. III. *de Doctrina Christiana Cap*. 10. Cum igitur *Genes*. 1. sex distinctis diebus dicatur facta mundi materialis creatio, nec alibi contrarium legatur, sequitur, eam non esse factam in instanti. 2. In *Genesi* narrantur quædam a Deo creata, quæ simul in eodem temporis momento esse non potuerunt, ex gr. erant tenebrae, et facta est lux: erat Terra undique aquis circumsepta, et divisæ sunt aquae ab aquis. At in eodem temporis momento esse non poterant simul

lux,

lux, et tenebrae, aquae confusae, et divisae Dixi, *sed non est ex fide*; nam non solum *Augustinus* eam Moysis historiam in sensu allegorico exposuit, sed plures non tantum ex schola Augustiniana, verum etiam ex Scholasticis insignes Theologi in sensu litterali intellexerunt; nec tamen damnati sunt ab Ecclesia.

Q. Si mundi materialis creatio facta est successive, cur legitur *Eccli.* XVIII. 1. *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul?*

℟. Verba *Ecclesiastici* vel intelligenda sunt eo sensu, quod nihil existat, quod a Deo non fuerit creatum; vel quia a Deo creata sunt omnia successive quidem, sed nulla mora interjecta; vel denique ipsam informem materiam in instanti creatam fuisse, ex qua sex distinctis diebus caetera postmodum fuerunt condita.

§. II.

Verisimilius est Deum nullam destruere substantiam mere corpoream.

Q. Deus destruetne unquam substantiam mere corpoream?

℟. Verisimilius est nullam destruere substantiam mere corpoream. Nam *Eccli.* III. 14. legitur: *Didici, quod omnia opera, quae fecit Deus, perseverent in perpetuum.* Accedit auctoritas D. Thomae, qui 1. p. q. CIV. art. 4. idem late demonstrat.

Q. Cui usui erit substantia mere corporea post

generalis judicii diem?

℞. Nescimus. Illud tamen certum est, post fatalem conflagrationem, quae judicii diem praecedet, omnia in novam formam mutanda esse, dicente Joanne *Apoc.* XXI. 1. *Vidi coelum novum, et terram novam*. Cui vero inservient usui, quae manebunt, videbimus in coelesti Patria.

C A P. VIII.

De Creatura composita ex anima, et corpore h. e. De homine.

§. I.

Hominis generatim, et physice spectatis notio.

Q. Quid est homo?

℞. Est creatura Dei duabus constans ex partibus; nempe corpore, et anima. Siquidem Moyses *Genes. cap.* II. 7. *Formavit*, inquit, *Dominus Deus hominem de limo terrae*: ecce corpus; *et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem*: ecce anima.

§. II.

lectus, quatenus vult, dicitur *voluntas*. Objectum intellectus est *verum*, voluntatis est *bonum*.

CAP. IX.

De Origine Animarum generatim.

§. I.

Animae non sunt creatae ante corpora.

Q. Animæ suntne ante corpora creatæ?

℟. Minime; sed Deus, ubi corpora apta sunt moveri, in iis animas creat. *Zach.* XII. 1. *Fingens spiritum hominis in eo*. *Psal.* XXXII. *Qui finxit singillatim corda eorum*.

Q. Estne hæreticum asserere, animas creatas esse ante corpora?

℟. Hæreticum est, si quis asserat in sententia *Origenis*, animas ante corpora fuisse creatas, et ob quædam peccata in corpora, velut in carceres detrudi. Nam 1. *Rom.* IX. 11. de *Jacob*, et *Esau* dicitur, quod antequam nati fuissent, nihil boni, et mali egerant. *Cum nondum nati fuissent, nec aliquid egissent boni, vel mali*. 2. *Rom.* V. 12. ait Apostolus. *Per unum hominem*, nempe Adamum, *peccatum in hunc mundum intravit*; quod falsum esset, si animae ante corpora creatæ aliquid admisissent. 3. Denique Pa-

Patres unanimi consensu contrarium *Origenis* errorem oppugnarunt. Et Leo *M. Epist.* XCIII. ait: *Catholica fides constanter praedicat, atque veraciter, quod animae hominum, priusquam suis inspirantur corporibus, non fuere*. Et revera id non solum in Concilio *Bracarensi*, et *Viennensi* definitum est; sed etiam in Concilio *Lateranensi* IV., ubi affirmatum est, animam esse *natura sua formam corporis*, h. e. a Deo tunc corpori infundi, cum corpus aptum moveri, necesse est, ut, agente anima, moveatur, suasque functiones exerceat.

§. II.

ERRAT ALIQUIS DICENS ANIMAS TRADUCI MODO CORPOREO.

Q. Erratne quis dicens, animas modo corporeo traduci?

℟. Certissime errat; tum quia demonstratum est supra, animas a Deo immediate creari, et corporibus infundi; tum quia animæ utpote spirituales, et simplices non possunt modo corporeo traduci a parentibus in filios. Unde S. Thomas hunc errorem *haereticum* appellat I. P. Q. CXVIII. art. 2.

CAP.

CAP. X

De dotibus naturalibus speciatim primi hominis quoad Animæ facultates, scilicet intellectum, et voluntatem.

§. I.

Deus intellectui primi hominis, nempe Adami infudit notitiam omnium rerum, quæ necessariæ scitu sunt ad vitam, tum naturalem, tum moralem.

Q. DEus infuditne Adamo notitiam rerum naruralium?

℟. Certum est infudisse. Nam 1. constituit eum Principem totius naturæ. *Genes.* II. 26 *Et praesit piscibus maris, volatilibus Cœli, et bestiis, universaeqne terrae*; qui principatus ab ipso exerceri non poterat absque omnium naturalium rerum notitia. 2. *Genes.* II. 20. *Appellavit Adam nominibus suis cuncta animantia*, h. e. nomina imposuit eorum naturis respondentia, quod absque naturarum cognitione præstare non potuisset; et id adeo exploratum est, ut *Plato* (*in Cratylo*) sapientissimum affirmaverit eum, qui primus mortalium nomina rebus imposuit. Unde *Eccl. XVII.* 9. legitur de primis hominibus; *disciplina intellectus replevit illos*.

Q. A-

Q. Adam habuitne notitiam infusam rerum rerum moralium?

℟. Utique habuit; nam cum a Deo constitutus esset dux, et Magister hominum, necesse erat, ut haberet omnem scientiam moralem, per quam tum ipse, tum sui posteri in iis, quæ ad mores pertinent, potuissent instrui, et gubernari. Unde dicitur *Eccl.* XVII. 5. *Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis.*

Q. Si Adam habuit omnium rerum scientiam, quomodo erravit credens serpenti, qui dixit: *eritis sicut Dii scientes bonum, et malum? Genes.* III. 5.?

℟. Ait Apostolus I. *Tim.* II. 14. *Adam non est seductus, mulier autem seducta fuit*, h. e. peccavit Adam sciens, et prudens, ut placeret uxori, quæ ad fructum vetitum comedendum ipsum invitaverat.

§ II.

VOLUNTAS PRIMI HOMINIS IN SUI CREATIONE HABUIT INCLINATIONEM AD BONUM, ET AVERSIONEM A MALO, ET FUIT LIBERA.

Q. Voluntas primi hominis, nempe Adami eratne ad bonum inclinata, et aversa a malo?

℟. Omnis voluntas naturaliter appetit bonum, et fugit malum. Multo magis hanc inclinationem ad bonum, et aversio-

nem a malo habuit voluntas primi hominis in statu innocentiæ. Ex hac ad bonum inclinatione, et aversione a malo profluebant in ejus voluntatem omnes passiones ad bonum ordinatæ, ut gaudium de præsenti, spes boni absentis, et detestatio cujuscumque rei, quæ bono videbatur adversari.

Q. Voluntas primi hominis fuitne libera?

R. De fide est, voluntatem primi hominis fuisse liberam. *Eccli.* XV. 14. *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui*. Et *Augustinus Enchir. cap.* 25. ait: *Mortis supplicium Dominus homini comminatus fuerat, si peccaret; sic eum munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio*. Accedit ratio; nam Deus præcepit Adam, ne comederet de ligno vitæ, poenam mortis ei intermінans. Atqui, qui caret libertate, non est capax præcepti, neque poenæ, si transgrediatur. Ergo.

Nam 1. *Deus spiritus est . Joan.* IV. 24. nec ullum corpus sibi adjunctum habet , ut ostendimus in *Tractatu de Deo* . Ergo dici nequit , hominem esse imaginem Dei, quoad corpus , sed quoad animam . 2. Deus creavit hominem ad imaginem suam , ut præesset piscibus maris , volatilibus Cœli . Atqui homo non præest corpore , sed anima . Ergo imago Dei sita est in anima hominis , non vero in corpore .

Q. Quo pacto dicitur homo factus ad imaginem Dei , quoad animam ?

℟. 1. Quia sicut Deus est intelligens , volens , et omnibus dominans ; ita anima hominis habuit intellectum , voluntatem , et dominatum in res omnes . 2. Sicut in SS. Trinitate unus est Deus , et tres personæ ; ita anima una est , et tribus ornatur proprietatibus , nempe intellectu , voluntate , et dominandi potentia .

Q. Cum legitur *Genes.* I. 26. *Faciamus hominem ad imaginem , et similitudinem nostram* , est idem *imago* , et *similitudo* ; an distinguuntur inter se ?

℟. Videntur *imago* , et *similitudo* idem significare . Nam post allata verba , paucis interjectis , subjungitur : *Ad imaginem Dei creavit illum*. Et *Genes.* V 1. Sola similitudo nominatur : *ad similitudinem Dei fecit illum* . Ergo idem sonant *similitudo* , et *imago* . Verum tacendum non est, nonnullos Ecclesiæ Patres *imaginem* a *similitudine* distinxisse , et eam in donis naturalibus , hanc in do-

donis supernaturalibus collocasse; ut *Irenaeus*, *Basilius*, aliique.

CAP. XII.

DE PROPRIETATIBUS ADAMI SUPERNATURALIBUS h. e. DE JUSTITIA ORIGINALI, ET POSSIBILITATE STATUS NATURÆ PURÆ.

§. I.

JUSTITIÆ ORIGINALIS EXPOSITIO.

Q. Quid significat justitia originalis?

℟. Significat complexionem illorum bonorum, quæ Adamus in sua origine accepit a Deo, et quibus justus, et sanctus erat; *Deus* enim, *Eccli.* VII. 31. *fecit hominem rectum*.

Q. Quæ bona complectebatur justitia originalis?

℟. Quatuor complectebatur. 1. ordinem partium, ita ut corpus in omnibus spiritui subjiceretur, nec unquam potentiæ inferiores adversus imperium rationis insurgerent. 2. gratiam sanctificantem, virtutes Theologicas, virtutes morales, dona Spiritus Sancti, et auxilium *actuale*, sine quo Adamus justitiam, et sanctitatem servare non poterat, nec recte operari. 3. beatitudinem inchoatam, omnes animi, corporisque miserias excludentem. 4. corporis immortalitatem non

co

eo sensu, quod Adamus non poterat mori, sed quia poterat non mori.

Q. Adamus accepitne revera a Deo justitiam originalem supra explicatam?

℟. Accepit. Et re quidem vera. 1. Habuit ordinem partium; siquidem concupiscentia, quæ omnem inordinationem inter animam, et corpus, inter potentias inferiores, et rationem statuit, non *ex Patre*, sed *ex Mundo* est. I. *Joan.* II. 16. Unde Apostolus sæpe eam appellat *peccatum*, quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat, ut exponit Concilium Tridentinum *sess.* V. *can.* 5. Nulla igitur concupiscentia, nulla inordinatio; sed perfectus ordo partium locum habuit in illo innocentiæ statu. 2. Accepit gratiam sanctificantem cum aliis donis supra memoratis; tum quia *Eccl.* VII. 30. dicitur: *Deus fecit hominem rectum*; tum quia Apostolus absolute pronuntiat *Eph.* IV. 23. *Qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis*. Unde Concilium Tridentinum *sess.* V. *can.* 20. ait: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse . . . anathema sit*. Ergo supponit illum in sua origine gratiam accepisse. At ubi est gratia sanctificans, ibi sunt virtutes Theologicæ, virtutes morales, et dona Spiritus Sancti, ut dicetur in *Tractatu* de *Gratia*. 3 Habuit beatitudinem inchoatam, quæ scilicet excludit omnes animi, et corporis ærumnas; omnia

stitia originalis 1. *naturalis* dici potest, quatenus Adamus in ipsa sui creatione eam accepit. 2. In quantum vero complectebatur gratiam sanctificantem, et alias gratias commemoratas, et corporis immortalitatem, et beatitudinem inchoatam dici non potest *naturalis*, quatenus nimirum fuerit de essentia naturæ, cum ea creari, et esse. Siquidem *Pius* V.; *Gregorius* XIII., *Urbanus* VIII. damnarunt sequentes *Baji* propositiones XXVII. *Integritas primae conditionis non fuit indebita naturae humanae exaltatio, sed naturalis ejus conditio*, et CCCCXXVIII. *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio*. 3. Quatenus complectebatur rectum ordinem partium, non est hæreticum, asserere eam fuisse *naturalem*, scilicet proprietatem naturæ; cum de ea re disputetur inter gravissimos Catholicos, connivente Ecclesia. 4. Justitia originalis adaequate accepta fuit *supernaturalis*, quoad *modum*; in iis vero proprietatibus, in quibus diximus, dici non posse *naturalem*, quasi fuerit naturæ proprietas, dicenda est *supernaturalis* etiam quoad *entitatem*.

§. II.

POSSIBILITAS STATUS NATURÆ PURÆ.

Q. Quid est status *naturae purae?*

℞. Est ille status, in quo homo 1. non est ad finem gloriæ ordinatus, qui consistit in visione Dei intivitiva. 2. caret omni gratia supernaturali. 3. obnoxius est concupiscentiæ. 4. subjacet morti, et aliis vitæ miseriis.

Q. Estne possibilis hic status?

℞. 1. *Lutherus*, et *Bajus*, qui justitiam originalem, qualis supra descripta est, putabant esse proprietatem *naturalem*, et debitam primo homini, ita ut homo sine illa esse non posset, existimarunt illum statum esse *absolute* impossibilem. Qui error damnatus est, tum a Concilio Tridentino, tum a summis Pontificibus *Pio* V., *Gregorio* XIII., et *Urbano* VIII. 2. Damnata hac hæresi Theologi in varias abiere sententias. Nonnulli asseruerunt illum statum esse impossibilem non in sententia *Baji*, et *Lutheri*, hoc est *absolute* loquendo, sed *relative* ad attributa Dei, bonitatem, sapientiam, et providentiam, quae non decet, hominem in illo statu creare. Alii e contrario, panico timore acti, existimantes, se in errorem *Baji*, et *Lutheri* incidere, si illum statum sub aliquo respectu impossibilem statuissent, eum ex omni parte possibilem esse docuerunt; qui-

quidam ad tempus ; et alii quidam in perpetuum . Alii denique opinantur , illum statum possibilem esse , excepta sola concupiscentia. Inter hasce controversias , cum satis exploratus sit error *Lutheri* , et *Baji* ab Ecclesia damnatus , nos ab eo declinantes dicimus , statum naturæ puræ *absolute* possibilem esse , cum nullam involvat contradictionem , nec gratia sit debita creaturae , alioquin *gratia jam non esset gratia* . *Rom.* XI. 6. Sed attentis Dei bonitate , sapientia , et providentia, opinamur probabiliter defendi posse, eum statum esse impossibilem , ut patet cuique serio , non contentiose illius status quatuor supra expositas conditiones consideranti.

CAP. XIII.

DE LEGE A DEO IMPOSITA ADAMO, EJUSQUE VIOLATIONE, DEQUE IPSIUS VIOLATIONIS GRAVITATE, ET POENIS,

§. I.

LEX IMPOSITA ADAMO.

Q. Quam legem Deus Adamo imposuit?

℟. Deus æquissima lege ad exercitium obsequii erga factorem suum, et obedientiæ, quæ magna virtus est, præcepit Adamo. *Genes.* II. 16, et 17. dicens: *Ex omni ligno Paradisi comede. De ligno autem scientiae boni, et mali ne comedas, in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

Q. Adamus servavitne hanc legem aequissimam et servatu facillimam?

℟. Non servavit, sed violavit hoc modo. Diabolus invidia tabescens erga Adamum, et Hevam tot bonis naturalibus, et supernaturalibus a Deo cumulatos, assumens speciem serpentis, qui erat *callidior cunctis animantibus terrae*, seduxit Hevam ei dicens: *Quocumque die comederitis ...... eritis sicut Dii, scientes bonum et malum .... quae tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit*; sic ambo legem illam violarunt.

§ II.

§. II.

Adami peccatum fuit gravissimum.

Q. Cujus gravitatis censeri debet exposita legis Dei violatio?

℞ Censeri debet maximae gravitatis, non ex objecto, sed ex circumstantiis; et quia alia simul complectitur peccata. Dixi 1. *non ex objecto*; nam dantur alia peccata graviora ex objecto, ut odium Dei, blasphemia, homicidium. Dixi 2. *sed ex circumstantiis*, ut sunt, si attente consideremus, praecepti facilitas, sublimis peccantium dignitas, auxilium supernaturale ad legem servandam, contemptus Dei, et grandis animi ingrati significatio. Dixi 3. *et quia alia plura simul complectitur peccata*; quæ exponit Augustinus *Enchir. cap.* 45. *Et superbia est illi, quia homo in sua potius esse, quam in Dei potestate dilexit. Et homicidium, quia se praecipitavit in mortem. Et fornicatio spiritalis, qua integritas mentis humanae Serpentina suasione corrupta est. Et furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est. Et avaritia, quia plusquam illi sufficere debuit, appetiit.*

CAP. XIV.

DE POENIS PECCATI PRIMORUM PARENTUM.

§. I.

PRIMORUM PARENTUM PECCATUM STATIM SECUTA EST AMISSIO OMNIUM DONORUM SUPERNATURALIUM.

Q. PRimi parentes peccando amiseruntne omnia dona supernatur alia?

℟. De fide est, amisisse. Nam 1. Amiserunt gratiam sanctificantem, quae utique cum peccato stare nequit. *Sap.* 1. 6. *Sapientia non habitabit in corpore subdito peccatis*. Et Concilium Tridentinum *Sess. V. Can.* 5. definit: *Primum hominem Adam cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus sanctitatem, et justitiam amisisse*. 2. Amiserunt virtutes Theologicas; Unde *Prosp. lib. cont. Collat. cap.* 10. ait: *Perdidit Adam fidem, perdidit charitatem*; et amiserunt virtutes morales, et dona Spiritus S. quae cum gratia sanctificante necessario connexa sunt. 3. Amiserunt corporis immortalitatem juxta poenam, quam Deus Adamo comminatus fuerat dicens *Genes.* II. 17. *Quocumque die comederis ex eo morte morieris*; h. e. subjicieris debito moriendi. 4. Amiserunt

runt rectum ordinem partium, ita ut corpus contra animam rebellionem facere, et potentiae inferiores contra imperium rationis insurgere coeperint.

§ II.

Primorum Parentum natura ob peccatum fuit vulnerata in naturalibus.

Q. Quid poenae passi sunt primi parentes in naturalibus ob admissum peccatum?

℟. Ipsorum natura vulnerata fuit, et quidem quatuor vulnera ipsi inflicta numerat S. *Thomas* 1. 2. q. CCCCXXXV. *art.* 3. scilicet ignorantiam in intellectu; difficultatem ad agendum bonum in voluntate; acrem, et molestam concupiscentiam in concupiscibili; et motus irae inordinatos in irascibili. Falluntur igitur, qui sentiunt, solis supernaturalibus bonis fuisse primos parentes spoliatos. Unde Patres miseri illorum status typum nobis ostendunt in parabola hominis, qui incidit in latrones, *Luc.* XVI. cujus hæc est expositio. *Homo*, h. e. Adam; *descendebat ab Jerusalem in Jericho*, h. e. exulabat a Paradiso in terram miseriarum; *incidit in latrones*, h. e. in manus Diaboli, et peccati; *despoliaverunt eum*, h. e. bonis supernaturalibus fuit spoliatus; *plagis impositis*, nempe natura ipsius vulnerata fuit in naturalibus; *semivivo relicto*, quia manente anima immortali, corpus factum est mortale.

§. III.

PECCATUM PRIMORUM PARENTUM FUIT CAUSA OMNIUM AERUMNARUM, QUIBUS OBNOXII ESSE COEPERUNT.

Q. Quas alias miserias invexit primorum parentum culpa?

℟. Omnes alias miserias vitae, quibus primi parentes cruciari coeperunt, secum traxit ipsorum peccatum. Unde Deus dixit Hevae Genes. III. 16. *Multiplicabo aerumnas tuas*; et Adamo Genes. III. 17. *quia audisti vocem uxoris tuae . . . . . maledicta terra in opere tuo . . . in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris*. Quae verba omnes omnino miserias complectuntur.

Q. Quo pacto unius pomi gustus talem poenarum cumulum potuit penes se trahere?

℟. *Augustinus lib.* XIV *de Civit. cap.* 15. huic difficultati respondet: *Quisquis hujusmodi damnationem vel nimiam, vel injustam putat, metiri profecto nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas*.

CAP.

CAP. XV.

De Primorum Parentum poenitentia, et salute.

§. I.

Adamum, et Hevam peccati poenituit et uterque salutem consequutus est.

Q. Quid sentiendum est de primorum parentum salute aeterna?

℟. Dicendum est, eos peccati poenituisse, et vitam aeternam consecutos fuisse. Siquidem Deus, qui dives est in misericordia, eos peccantes non deseruit, sed statim ipsis revelato *Incarnationis* Mysterio dicens ad serpentem *Genes.* III. 15. *Inimicitias nonam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius: ipsa*, vel ut habet textus originalis *ipsum conteret caput tuum*, eos per fidem in Mediatorem, et per peccati pœnitentiam, a culpa liberavit. *Sap.* X. 1. *Haec* (nimirum sapientia) *illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum . . . . custodivit, et eduxit illum a delicto suo*. Hinc esse quoque Ecclesiæ traditionem testatur Augustinus *Epist. ad Evodium* XCIXi *De itlo*, nempe Adam, *quod solverit* (Christus) *Ecclesia fere tota consentit*. Qod dictum est de

I 6 Ada-

ductionem peccati originalis contra Julianum *lib.* I. *cap.* 3., et 4. fidem facit hoc dogma traditum fuisse *ab Irenaeo*, *Cypriano*, *Hilario*, *Ambrosio*; *cap.* 6 asserit illud tenuisse *Gregorium Nazianzenum*, *Basilium*; *cap.* 7. affert auctoritatem *Hieronymi*; *cap.* 14 præbet testimonia Episcoporum Orientalium. Unde *lib.* 3. *de peccat. merit. cap.* 6. concludit. *Non aliud ex quo Christi Ecclesia constituta est, divinarum Scripturarum tractatores, Christianarum disputationum Scriptores senserunt, non aliud a Majoribus acceperunt, non aliud posteris tradiderunt*. 3. Ex summis Pontificibus, et Conciliis. Nam hoc docuerunt *Innocentius* I. *Zosimus*, *Leo M.*, *et Gregorius M.* Item idem dogma definiverunt Concilia, *Diospolitanum*, *Carthaginense*, *Milevitanum*, *Arausicanum* II. *Ephesinum*, *Florentinum*, quorum definitiones, et verba secutum Concilium Tridentinum *Sess.* V. *Can.* 2. ait: *Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse . . . . . aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum mortem, et pœnas corporis tantum in genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod est mors animae, anathema sit*. 4. Ex ratione Theologica. Parvuli baptizantur. At notum est baptismum dari in remissionem peccatorum. *Act.* II. *Baptizetur usquisque vestrum in remissionem peccatorum*. Cum igitur parvuli non sint capaces peccatorum actualium, dicendum est, nasci obnoxios peccato originali. Rursus

℟. Cum Augustino *Lib.* III. *contra Julianum Cap.* 24. *Quid quaerit latentem rimam, cum habeat apertissimam januam? per unum hominem, ait Apostolus; per unius delictum, ait Apostolus; per unius hominis inobedientiam, ait Apostolus; quid quaeris amplius? quid quaeris apertius?*

§ II.

Una Beata Maria Virgo non fuit obnoxia peccato originali.

Q. Beata Maria Virgo fuitne obnoxia peccato originali?

℟. Ex omnibus filiis Adæ, qui ab ipso via ordinaria originem duxerunt, sola Beata Maria Virgo fuit concepta sine labe originalis culpæ; non est tamen de fide. Nam 1. Patres, et Ecclesia aptant Beatæ Virgini illa *Canticorum* verba II. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*; et IV. 7. *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*; quæ generatim dicta, et sine exceptione Beatæ Virgini accommodata etiam peccati originalis illam expertem fuisse testantur. 2. Ambrosius in *Psal.* CXVIII *serm.* XXII. ait de Beata Virgine: *Virgo integra ab omni labe peccati.* Et Augustinus *lib.* de *nat. et grat. cap.* 42. *Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem.* 3 Ecclesia Catholica celebrat festum Immaculatæ Con-

cep-

ceptionis Beatæ Mariæ Virginis. At Ecclesia non celebrat festum, nisi de re sancta. Igitur conceptio Virginis fuit sancta, h. e. sine peccato. 4. Summi Pontifices approbarunt Officia, et Missas, in quibus Beata Virgo prædicatur sine labe peccati originalis concepta, Ordines Religiosos sub titulo Immaculatæ Conceptionis, vel fundandos curarunt, vel fundatos honoribus auxerunt. Dixi ab initio; *non est tamen de fide*; nam licet sedes Romana in hanc sententiam clarissime visa sit inclinare, noluit tamen controversiam definire; cum *nondum aeterna Sapientia Ecclesiae suae tanti mysterii penetralia patefecerit*, ait *Gregorius* XV.

Q. Patres ex illo Apostoli *Rom.* V. 12. *In quo omnes peccaverunt*, deducunt, solum Christum a generali Apostoli sententia excipiendum esse, cum non fuerit via ordinaria conceptus, et generatus. Quomodo ergo hic excipitur etiam Beata Virgo?

℟. Patres docent solum Christum excipi a generali Apostoli sententia, quia solus Christus nec *actu* contraxit peccatum originale, nec *debitum* habuit contrahendi, quia non fuit via ordinaria conceptus, et generatus. At Beata Virgo *debitum* contrahendi peccatum originale jam habebat, sed ex speciali privilegio, et per gratiæ infusionem illud *actu* non contraxit.

Q. Ex eo quod Beata Virgo non solum fuit libera a quocumque peccato actuali, sed ab ipsa labe peccati originalis, potest dici non fuisse a Christo redempta?

℟. Imo

℟. Imo potiori ratione a Christo redempta fuisse dicenda est; nam non solum ille dicitur redimi, qui liberatur a servitute; sed etiam ille, qui nisi liberaretur, et defenderetur, certissime redigeretur ad servitutem.

CAP. XVII.

De natura peccati Originalis.

§. I.

Incerta est natura peccati Originalis.

Q. Estne explorata, et citra controversiam posita natura peccati originalis?

℟. Certa omnino non est natura peccati originalis, teste Augustino *lib. de moribus E-clesiae cap. 22. Hoc peccato antiquo nihil est ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius*. Nec mirum; multa enim sunt in ordine naturali, quorum existentiam novimus, et naturam ignoramus, cur idem dici nequit de peccato originali? Hinc est quod circa essentiam peccati originalis quædam excogitatae sunt opiniones falsæ, et hæreticæ; quædam non æque verisimiles.

§. II.

§. II.

REJICITUR UT HAERETICA SENTENTIA ILLYRICI LUTHERANI CIRCA NATURAM PECCATI ORIGINALIS.

Q. Quid statuebat *Illyricus* circa naturam peccati originalis, et quomodo confutandus?

℞ *Illyricus* opinatus est, peccatum originale esse quamdam substantiam malam a Diabolo productam ita, ut anima per peccatum originale sit substantialiter mutata in malam. Rejicitur. 1. Omnis substantia a Deo est 1. *Joan. I. Omnia per ipsum* (nempe per Verbum) *facta sunt, et sine ipso factum est nihil*. 2. Omnis substantia, cum sit ens, necessario, et essentialiter bona est; unde dicitur in *Ontologia*, bonitatem, veritatem, et unitatem esse proprietates essentiales cujuslibet entis. 3. Haec sententia recidit in haeresim Manichaeorum, qui statuebant duo rerum principia bonum, et malum, illud esse caussam bonorum, hoc esse caussam malarum substantiarum. Igitur est rejicienda ut haeretica.

§. III.

§. III.

Exploditur haeresis Lutheranorum, et Calvinistarum circa naturam peccati originalis?

Q. Quid statuebant *Lutherani*, et *Calvinistae* circa naturam peccati originalis?

℟. Volebant peccatum originale *formaliter* esse ipsam concupiscentiam, quæ cum remaneat in baptizatis, inferebant peccatum originale per baptismum *tegi*, et *non imputari*; non vero tolli, et deleri de anima; quod fuit basis ipsorum absurdissimi systematis. Exploditur. Nam 1. Apostolus *Rom.* VIII. 1. loquens de baptizatis ait: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*. At si peccatum originale esset *formaliter* ipsa concupiscentia, cum hæc remaneat in baptizatis, neque hi dicerentur a damnatione liberi, nec essent in Christo Jesu. 2. Augustinus lib. I. *de nupt. et concup. cap.* 23. inquit: *Concupiscentia non est peccatum in regeneratis*; et ibidem explicat, quo pacto appellatur *peccatum* dicens: *sic autem vocatur* peccatum, *quia a peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa* peccatum; *sic vocatur lingua locutio, quam facit lingua, et manus vocatur scriptura, quam facit manus*. 3. Denique Concilium Tridentinum *sess.* V. *Can.* V. anathemate percutit eum, qui asserit, *per baptismum non tolli totum id, quod veram, et propriam ratio-*

nem

per justitiam Christi, ita non extrinsecus, sed intrinsecus constituuntur homines peccatores per peccatum Adæ. 3. denique Concilium Tridentinum *sess.* V. *can.* 3. definit peccatum originale ab Adamo *transfundi* in posteros; omnibus *inesse unicuique proprium*. Quæ sententiæ stare non possunt cum *extrinseca denominatione*, quam somniarunt *Pighius*, et *Catharinus*. Ideo vero hæc sentententia hæretica non est, quia *Pighius*, et *Catharinus* agnoverunt homines nasci privatos justitia originali.

§. V.

Multum verisimilis est sententia Augustinianorum, et Thomistarum circa essentiam peccati originalis.

Q. Quænam est sententia *Augustinianorum*, et *Thomistarum* circa naturam peccati originalis; et quo pacto ostenditur ejus verisimilitudo?

℟. *Augustiniani* opinati sunt, originale peccatum *materialiter* esse ipsam concupiscentiam, *formaliter* vero esse illius reatum, h. e. dominatum in animam, propter quem anima rea est pœnæ. *Thomistae* voluerunt peccatum originale *materialiter* esse ipsam concupiscentiam, *formaliter* vero privationem gratiæ sanctificantis: quæ sententia non differt a priori; nam ideo animæ inest ille reatus, sive dominatus concupiscentiæ, quia caret gratia sanctificante; propterea non imme-

merito, statuimus, ex duabus unam esse. Demonstratur igitur esse multum verisimilem. 1. *Augustinus* sæpissime scripsit peccatum originale esse concupiscentiam; deinde asseruit, eam remitti per baptismum; denique confessus est, eam manere post baptismum. Quæ intelligi non possunt, nisi res ita explicetur: concupiscentia cum reatu est peccatum originale: reatus in baptismo remittitur: manet sola concupiscentia sine reatu, h. e. dominatu; quod evidenter exposuit *lib.* 1. de *Nupt.*, *et Concupisc. cap.* 25. dicens: *Respondetur dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut peccatum non imputetur, quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen.* 2. S. Thomas 2. 2. *quaest.* CCCCXXXII. *art.* 3. ait: *Privatio justitiae originalis, per quam voluntas subdebatur Deo, est* formale *in peccato originali; omnis autem alia inordinatio virium se habet in peccato originali, sicut quiddam* materiale. 3. Conc. Trid. *sess.* V. *can.* 5. ait: *Concupiscentia non est peccatum in iis, qui renascuntur per baptismum.* Ergo supponit, eam esse peccatum in non regeneratis parvulis. Igitur statuendum est, concupiscentiam, quæ erat ante, et manet post baptismum esse *materialiter* peccatum originale, reatum vero, sive dominatum concupiscentiae in animam, qui in baptismo ablatus est per infusionem gratiae sanctificantis, esse *formaliter* peccatum originale.

CAP.

C A P. XVIII.

De ratione, qua traducitur peccatum originale.

§. I.

Nihil omnino exploratum statui potest circa modum, quo traducitur peccatum originale.

Q. Estne perspectus modus, quo traducitur peccatum originale?

℟. Omnino non est perspectus; cum ipse *Augustinus*, qui tam multa, et tam subtiliter scripsit de hac materia, coactus sit fateri *lib.* V. *contra Julianum cap.* 3. *Hic libentius disco, quam dico, nec audeo docere, quod nescio*. Nec mirum; nam Scriptura omnino silet, utpote de re minime necessaria scitu ad salutem: *Satis est*, inquit *Augustinus epist.* 10. *quod quomodo salva fiat* (anima) *novimus; etiamsi nunquam, quomodo in malum illud devenerit, novimus*.

§. II.

FICTITIUM EST PACTUM, QUOD STATUITUR DEUM INTER, ET PRIMOS PARENTES.

Q. Quid est hoc *pactum*, de quo hic fit mentio?

℟. Nonnulli Theologi ut facile explicarent, quomodo posteri Adæ nascantur obnoxii peccato originali, commenti sunt, Deum hoc *pactum* cum primis parentibus iniisse, ut si ipsi servarent justitiam originalem, ipsorum posteri, veluti hæreditatem, ipsam justitiam originalem accepissent, si vero peccando amisissent, posteri peccato originali nati fuissent obnoxii. At *pactum* illud fictitium est. Nam 1. De hujusmodi *pacto* altum est silentium tum in Scriptura, tum in Traditione. 2. Posito hoc *pacto*, modus, quo traducitur peccatum originale, esset facilis intellectu, et explicatu; quod est contra sententiam *Augustini* superius recitatam. 3. Posito hoc *pacto* non satis consuleretur bonitati, et æquitati Dei, qui posuisset in voluntate unius viri, quem certissime sciebat peccaturum, voluntates tot millium, et millium hominum ab ipso nasciturorum.

Q. Si non esset modus expositus per *pactum*, quo peccatum originale traducitur, quomodo intelligerentur verba Apostoli *Rom.* V. 12. *In quo omnes peccaverunt?*

℟. Omnes homines dicuntur in Adamo peccasse, quatenus ipse posuit caussam, ucm-

nempe concupiscentiam, qua, ut mox dicemus, peccatum originale videtur traduci.

§. III.

Verisimilius est, modum, quo traducitur peccatum originale, esse ipsam concupiscentiam.

Q. Quo saltem verisimiliori modo explicari potest traductio peccati originalis?

℟. Eo ipso, quem insinuat *Augustinus lib. de Nup. et Concup. cap.* 23. dicens: *Hac concupiscentia, quae solo Sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione transit in posteros*. Hinc Christus, ut advertit idem *Augustinus* non potuit peccatum originale contrahere, quia non fuit carnali generatione conceptus *lib.* V. *contra Julianum cap.* 15.

CAP. XIX.

DE POENIS POSTERORUM ADAE OB PECCATUM ORIGINALE.

§. I.

POENAE PECCATI ORIGINALIS IN HAC VITA.

Q. Quibus poenis subjiciuntur posteri Adae ob peccatum originale, tam in anima, quam in corpore in hac vita?

℞. Subjiciuntur iisdem poenis, quas Adam coactus est pati, tam in anima, quam in corpore in hac vita. Nimirum 1. Anima statim, ac corpus informat, cum fiat obnoxia peccato originali, nullum in ipsa habere potest locum justitia originalis, qualis supra descripta est; igitur nulla habet dona supernaturalia. Deinde nascitur vulnerata in naturalibus; h. e. cum ignorantia in intellectu, cum difficultate ad agendum bonum in voluntate, cum infirmitate in irascibili, et cupiditate in concupiscibili, ut exponit S. *Thomas* 1. 2. *quaest.* CCCCXXXV. *art.* 3. 2. Corpus nascitur obnoxium debito mortis; siquidem ex illo ipso momento, quo incipit existere, ad mortem properat, quam licet per varia adjumenta a Deo ipso homini parata aliquot annorum spatio evadat; tamen inter innumeras aerumnas, et mor-

bos

bos aliquando certissime occumbit . Unde *Augustinus* complectens simul animae , et corporis miserias , easque agnoscens veluti consectaria peccati originalis *lib.* XII. *de Civit. cap.* 23. ait : *Omnium mortalium progeniem fuisse damnatam haec ipsa vita , si vita dicenda est , tot , et tantis malis plena , testatur .*

§. II.

Poenae peccati originalis in altera vita .

Q. Si homo decedat obnoxius peccato originali , quas pœnas subibit in altera vita ?

℟. *Pelagiani* , qui negabant transfusionem peccati originalis , somniarunt , parvulum sine baptismo decedentem privari quidem Regno Dei , quia *Joan.*III. 5. legitur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua , et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei* ; sed nullatenus vita æterna . At errarunt sollemnia . Nam in Scripturis idem est *regnum Dei* , ac *vita aeterna* . Unde postquam Christus *Matth.* XXV. 34. pronuntiabit : *Venite benedicti , possidete regnum* , electi V. 46. *ibunt in vitàm aeternam* : Igitur dogma fidei est , homines sine baptismo , h. e. peccato originali obnoxios decedentes , privari *vita aeterna* , quæ est ipsum *regnum Dei* . Nam 1. Patet ex laudato loco Joan. III. 5. *nisi quis renatus fuerit* etc. 2. Augustinus in suis li-

 bris

his contra *Pelagianos* evidentissime confütat distinctionem inter *regnum Dei*, et *vitam aeternam*. 3. Hic *Pelagianorum* error damnatus est in Conciliis Carthaginensi, Milevitano, et Diospolitano. 4. Denique Concilium Tridentinum *sess.* V. *can.* 4. ait: *Si quis parvulos* . . . . . *dicit* . . . . *nihil ex Adamo trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, anathema sit*.

Q. Parvuli sine baptismo morientes fruunturne saltem aliqua beatitudine naturali in altera vita?

℟. Id affirmarunt *Pighius*, et *Catharinus*, contendentes illos parvulos post universale judicium super terram habitaturos, sapientia, et moralibus virtutibus ornatos, et consortio Angelorum identidem fruituros, veluti in Paradiso terrestri. At hi Theologi quarundam singularium sententiarum amatores manifeste errarunt. Nam Augustianus lib. 1. *de orig. Animarum cap.* 6. ait: *Non baptizatis parvulis, nemo promittat inter damnationem, regnumque Coelorum quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet medium locum, hoc enim eis etiam haeresis Pelagianorum promisit*. Et Concilium Florentinum *sess. ultima* definit: *Illorum animas, qui cum actuali peccato, vel solo originali decedunt mox in infernum descendere; poenis tamen disparibus puniendos*.

Q. Tristanturne parvuli ob amissam super-

na-

naturalem beatitudinem ?

℞. Maxime tristantur. Nam natura rationalis appetit naturaliter suam felicitatem, quæ in sola Dei fruitione sita esse potest. Cum igitur parvuli contemplantur, se ab illa æterna felicitate in perpetuum fuisse exclusos, non possunt non tristari. Hinc Augustinus, *lib. VI. contra Julianum cap. I.* ait: *Si hoc eis non erit malum; non ergo amabunt regnum Dei . . . . Nihil ne mali in hac separatione patientur?* Et *Enchir. cap.* 112. *Perire a Regno Dei, alienari a vita Dei, tam grandis est poena, ut ei nulla possint tormenta, quae novimus, comparari.*

Q. Parvuli sine baptismo defuncti punienturne pœna ignis æterni?

℞. Non est de fide; sed videtur multum congruere Scripturarum, et Patrum auctoritati sententia affirmans, eos puniri pœna ignis æterni, licet mitissima in comparatione adultorum. Nam 1. *Matth.* XXV. describitatio, qua Christus instituet extremum judicium, nempe universos homines in duas partes distribuet, *oves a dextris*, h.e. electos; et *haedos a sinistris* h. e. non electos; et illis dicet V. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*; his vero V. 41. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum*. Ubi nulla fit mentio tertii loci, qui inter Regnum æternum, atque ignem æternum sit medius. Unde Augustinus *serm.* XIV. *de verb. Apost. cap.* 3. ait: *Nullus relictus est medius locus, ubi pone-*

 re

re queas infantes . . . . qui non in dextera, proculdubio in sinistra. Ergo, non in regnum, procul dubio in ignem aeternum dejicientur. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum cap.* 2. *firmissime tene*, inquit . . . . *parvulos, qui in uteris Matrum moriuntur, sive jam de matribus nati sine Sacramento sancti baptismatis . . . . de hoc saeculo transeunt, ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos*. Idem docuerunt *Gregorius M.*, *Hieronymus*, *Isidorus*, aliique. 3. Denique Concilium *Florentinum sess. ultima* definit: *Illorum animas, qui cum actuali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendos*. Dixi; *non est de fide*; nam a saeculo duodecimo, postquam *Petrus Lombardus*, vulgo dictus Magister sententiarum scripsit, parvulos sine baptismo decedentes non esse afficiendos poena ignis, maxima pars Theologorum, qui in ejus sententias commentaria ediderunt, passim tenuerunt Magistri opinionem, inter quos cum locum habeat etiam S. *Thomas*, ob reverentiam tanto Doctori debitam, sententia contraria nulla potest censura notari; imo utraque probabiliter defendi. Illud tamen animadvertendum est, ut quoniam nostra sententia non est de fide, pro temporis, et circumstantiarum opportunitate, una, aut altera historico modo proponatur, nempe matribus ob amissos liberos sine baptismo nimium moerentibus posset proponi sententia, quae

negat,

negat, parvulos igne æterno torqueri, aliis vero, nè culpa sua parvuli sine baptismo moriantur, sententia, quæ affirmat, ut salutari timore percellantur.

FINIS.

TRACTATUS

De Verbi Incarnatione.

CAP. I.

Incarnationis Verbi Divini brevis expositio; et quarumdam vocum, quarum in hoc Tractatu frequens est usus, explicatio.

§. I.

Incarnationis Verbi Divini brevis expositio.

Q. Quid est Incarnatio Verbi Divini?

℟. Est *ea divina operatio, qua Verbum Divinum, manens Deus, factum est homo, qui est Christus; in quo Deo simul, et homine, unica est persona*, nempe *Verbi Divini, et duae naturae*, scilicet *divina, et humana cum omnibus suis proprietatibus essentialibus in ipsa persona Verbi subsistentibus; nec-non perfectionibus ad naturam humanam pertinentibus; quae Incarnatio facta est; ut Verbum Divinum in natura humana assumta mereretur, et redimeret genus humanum*. Quae omnia cum humanam rationem excedant merito incarnatio Verbi Divini appellatur *Mysterium*. Dicitur 1. *ea di-*

divina operatio; nam cum incarnatio sit opus ad *extra*, communis est toti Trinitati . Dicitur 2. *qua Verbum Divinum* ; nam licet incarnatio communis fuerit toti Trinitati tamen solum Verbum dicitur incarnatum , quia ipsum solum assumsit naturam humanam , ea ratione , qua licet tres concurrant ad aliquem vestiendum , ille tamen solus dicitur vestitus , qui vestem induit . Dicitur 3. *manens Deus factum est homo . qui est Christus* ; quia Messiam a Prophetis praedictum esse simul Deum , et hominem , cumque venisse , et esse Christum demonstrabimus *Cap. II.* Dicitur 4. *in quo Deo simul , et homine* ; Christum enim esse Deum , et hominem ostendemus *Capp.* III. et IV. Dicitur 5. *unica est persona* , nempe *Verbi Divini*, quia non esse in Christo personam humanam palam fiet *Cap.* V. Dicitur 6. *et duae naturae* scilicet *divina , et humana* ; nam in Incarnatione eas naturas mansisse integras , inpermixtas , et inconfusas ostendemus *Cap.* VI. Dicitur 7. *cum omnibus suis proprietatibus essentialibus* ; in Christo enim esse duas voluntates,et operationes demonstrabimus *Cap.* VII. quo peracto reliqua , quae tanquam *corollaria* ex veritatibus antea descriptis consequuntur videbimus *Cap.* VIII. Dicitur 8. *in ipsa persona Verbi subsistentibus* ; quod veluti *corollarium* consequitur,ex eo quod tractandum polliciti sumus *Cap.*V., et videbimus *Cap.*IX. Dicitur 9. *necnon perfectionibus ad naturam humanam pertinentibus*, quod videbimus *Cap.* X. Dicitur 10 . *quae Incarnatio facta est* ,

 ut

ut Verbum Divinum in natura humanæ assumta mereretur, *et redimeret genus humanum*, quae duo absolvemus *Capp.* XI. et XII. eaque occasione de caussis Incarnationis agemus *Cap.* XIII. Dicitur 11. *Quae omnia cum humanam rationem excedunt merito Incarnatio Verbi Divini* appellatur *Mysterium* ; nam Mysterium Incarnationis Divinae non posse demonstrari *positive*, sed tantum *negative*, posita revelatione, demonstrabimus *Cap.* XIV. Denique de titulis Christi sermo erit *Cap.* XV.

§. II.

QUARUMDAM VOCUM, QUARUM FREQUENS EST USUS IN HOC TRACTATU, EXPLANATIO.

Q. Quaenam sunt voces explanandae, quarum frequens est usus in hoc Tractatu ?

℟. Sequentes : *natura*, *persona*, *suppositum*, *personalitas*, *subsistentia*, *subsistere*.

Q. Quid significant hae voces ?

℟. 1. *Natura* appellatur quaelibet substantia existens, sive sit conjuncta cum quadam alia re, sive ab omni alia re sit divisa ; ut homo, corpus, anima, lapis, etc. Dixi *substantia* ; nam *accidens* ex. gr. *albedo* in pariete, *sapientia* in homine non dicitur *natura*. 2. *Persona* est *substantia*, *singularis*, *intelligens*, *tota in se*, *et incommunicabilis alteri*. h. e. substantia existens, ratione prædita, quae cum nulla alia re communicat, ac proinde

inde est divisa a quacumque re, tota in se perfecta, et completa; ut est *homo*. Substantia ita descripta, si ratione careat, dicitur *suppositum*. Illud advertendum, quod aliquando *persona* vocatur *suppositum*, sed non vice versa, h. e. numquam, quod est *suppositum*, nempe ratione carens, nuncupatur *persona*. 3. *Personalitas* est id, per quod *natura* aliqua evadit *persona*, unde appellatur etiam *totalitas*, et *complementum* naturae. Nonnulli Theologi docuerunt, *personalitatem* esse *entitatem* aliquam; sed nos cum communiori Theologorum sententia opinamur, esse *modificationem*, sive *modum* existendi ipsius naturae; nam natura nihil amittit, si amitteret *personalitatem*. Idem dicas de *subsistentia*. Illud quoque hic notandum; quod *subsistentia* aeque de *persona*, ac de *supposito* praedicetur; et *personalitas* tantum de *persona* praedicari potest. 4. *Subsistere* non est simpliciter existere, sed existere modo *personae*, vel *suppositi* proprio; sic in homine anima existit, corpus existit, pes existit, brachia existunt, sed non dicuntur *subsistere*, quia non sunt in seipsis tota, perfecta, et completa; sed subsistunt in alio, nempe in homine, cujus sunt partes. Igitur quamdiu duae res ex. gr. duae guttae aquarum sunt a se invicem divisae dicuntur habere propriam *subsistentiam*; cum vero simul conjungantur, amittunt propriam *subsistentiam*, et incipiunt subsistere *subsistentia* totius, quod ex earum unione coaluit.

CAP. II.

IN QUO OSTENDITUR DEUM JAM FACTUM ESSE HOMINEM ; EUMQUE ESSE CHRISTUM JESUM. EST CONTRA JUDÆOS.

§. I.

MESSIAS A PROPHETIS PRÆDICTUS NON EST PURUS HOMO, SED HOMO SIMUL, ET DEUS.

Q. MEssias a Prophetis praedictus est purus homo, an homo simul, et Deus?

℟. Messias a Prophetis praedictus non est purus homo, sed homo simul, et Deus. Nam 1. *Isaiae* IX. 6. de eodem Messia legitur *parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis*; ecce homo; *et vocabitur nomen ejus . . . . Deus*: ecce Deus; habetur in textu originali *Jehova*, quod nomen, fatentibus ipsis Judaeis, nonnisi soli, et vero Deo convenit. 2. *Jeremiae* XXIII. 5. de eodem Messia scriptum est: *dicit Dominus suscitabo David germen justum*: en homo; *et hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus* (in Hebraeo *Jehova*): en Deus. 3. Messiae in ipsis Scripturis quaedam tribuuntur proprietates, quae non possunt puro homini convenire, sed homini simul, et Deo; ut *aeternitas*. *Micheae* V. *Et egressus*

sus ejus ab initio, a diebus aeternitatis; et *adoratio*. *Psal*. LXXI. *Adorabunt eum omnes Reges terrae*; et totius Mundi *imperium*. Ibidem: *Dominabitur a mari usque ad mare*.

§. II.

Messias a Prophetis praenuntiatus jamdiu venit.

Q. Messias a Prophetis praenuntiatus venit, an adhuc est expectandus?

℟. Messias a Prophetis praenuntiatus jamdiu venit. Nam Prophetae non solum Messiam praedixerunt, sed etiam tempus designarunt adventus ejus. Cum igitur tempus adventus Messiae a Prophetis designatum jamdiu elapsum fuerit, dicendum est, Messiam jamdiu venisse Quod sic ostenditur. 1. *Jacob* Patriarcha *Genes*. XLIX. 8. jam jam moriturus, benedicens singulis filiis *benedictionibus propriis* praedixit Judae, Regnum Judaicum tunc desiturum, cum venisset Messias, dicens: *non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est*, h. e. *Messias*. Atqui ab annis fere bis mille Regnum Judaicum desiit, et populus Judaicus extorris, et profugus ubique est despectus, invisus, et omnium ludibrio expositus. Ergo Messias jamdiu advenit. 2. *Daniel*. IX., ut legenti patet, Angelus *Gabriel* anno ultimo captivitatis Babylonicæ Prophetam Danielem orantem, et peccata populi flentem consolatus est

est aperiens ei tempus adventus Messiæ, cujus verba per summa capita recitamus, et juxta Interpretes breviter exponimus: *septuaginta hebdomades*, ait, *abbreviatae sunt* (in textu originali, *decretae sunt*) *super populum tuum, et super Urbem sanctam tuam, ut finem accipiat peccatum . . . . et ungatur Sanctus Sanctorum*; h. e. statuti sunt anni quadringenti, et nonaginta (siquidem quælibet hebdomada, juxta morem Scripturarum, constabat ex septem annis) ut veniat unctus Domini, Sanctus Sanctorum, nempe Messias, qui peccatum delebit. Ne vero Daniel anceps hæreret, undenam illorum annorum initium esset desumendum Angelus subdit: *ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem*, h. e. illi anni erant numerandi ab edicto cujusdam Regis, qui plenam potestatem fecisset Judæis in Patriam redeundi, et Urbem, templumque reædificandi, quæ Nabuchodonosor destruxerat. Deinde Angelus prædixit illum Messiam a suo ipsius populo esse occidendum: *et occidetur Christus* (Heb. Messias) *et non erit ejus populus, qui eum negaturus est*. Denique conclusit eo scelere perpatrato, venturum ducem cum multo milite, et disjecturum Urbem, et Templum, eamque destructionem in æternum duraturam: *et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas . . . . et usque ad finem perseverabit desolatio*. Atqui hæc omnia jamdiu acciderunt; nam *Artaxerses Longimanus* anno regni sui vicesimo plenam potestatem fecit Ju-

Judaeis in Patriam redeundi: Judaei post reditum Urbem, et Sanctuarium reaedificarunt: illi anni quadringenti, et nonaginta ab edicto *Artaxersis Longimani* numerandi jamdiu effluxerunt: in fine illorum annorum ab ipso populo Judaico occisus fuit Jesus Nazarenus: sub *Tito Vespasiano* Urbs, et Templum funditus eversa sunt, tantaque facta est clades, ut historiam legentium oculi lacrimis, et audientium aures horrore compleantur; eaque adhuc durat, durabitque desolatio. Ergo Messias jamdiu venit. 3. Cum populus Judaicus tristis esset, quia templum post captivitatem Babylonicam restauratum fuisset majestate, et magnificentia illo priori a *Nabuchodonosore* combusto inferius, Deus consolatus est per Prophetas *Aggaeum*, et *Malachiam* dicens, hoc postremum Templum futurum priori longe gloriosius, et magnificentius ob ingressum Massiae in illud. *Agg.* II. 7. *Magna erit gloria domus istius novissimae plusquam primae*; et *Malach.* III. 1. *Veniet ad templum suum dominator*. Igitur ex prophetiis recitatis, stante illo secundo Templo, Messias venit, et in ipsum ingressus est; ac proinde jamdiu venit, nempe ante tempora *Titi Vespasiani*, sub quo subversum est. Innumera alia vaticinia afferri possent, ex quibus patet Messiam jam venisse, sed cum ex allatis oraculis res sit clarissima, omnis alia demonstratio utique redundaret.

Q. Quo pacto confidenter asseritur in Vaticinio *Jacobaeo* supra allato nomine *Virgae* (ubi

(ubi enim in vulgata habetur *sceptrum* in-
textu originali est *virga* nempe *schebet*) in-
telligi regiam potestatem, cum constet in
Scripturis saepe *virgam* poni pro tribulatio-
nibus, et calamitatibus?

℟. 1. Cum in Scripturis *virga* adhibetur
ad significandas tribulationes, et calamita-
tes, semper aliquid additur, ut talis sensus
determinetur, ex. gr. *Isaiae* X. 5. *Assur
virga furoris mei*; et *Psal.* II. *Reges eos
in virga ferrea*. 2. Nomine *virgae* in
laudato vaticinio intelligi regiam potestatem
satis liquet ex antecedentibus, et consequen-
tibus; nam antea dixit Jacob: *Juda, te lau-
dabunt fratres tui, manus tua in cervicibus
inimicorum tuorum, adorabunt te filii ma-
tris tuae*; quae laeta, et fausta cum tribu-
lationibus, et calamitatibus stare non pos-
sunt; et postea subjunxit illis verbis recita-
tis in vaticinio, ubi fit mentio sceptri, vel
virgae: *et dux de femore ejus*, quae innuunt
nomine sceptri, sive virgae intelligi regiam
potestatem, qua ille dux fuisset potitus.

Q. Quomodo ex prophetia *Danielis* IX.
duci potest satis firmum argumentum Mes-
siam jam venisse, cum 1. non solum Ju-
daei, sed etiam Christiani contendant, eam
prophetiam non spectare Messiam. 2. non pos-
sit certo statui undenam illae hebdomades nu-
merandae sint?

℟. 1. Si attentis oculis, et citra omne
praejudicium, illam prophetiam percurramus,
apertissime constat, solemnia insanire non
solum Judaeos, sed etiam nonnullos Christia-

nos,

nos, qui eam ad alium, quam ad Messiam, referunt. 2. Jam supra definivimus initium, unde hebdomades illæ sint numerandæ; sed etiamsi incertum esset, quis auderet asserere, eas hebdomadas non hactenus effluxisse, cum ab illo vaticinio usque adhuc plusquam bis mille anni præterierint?

Q. Erraretne quis sentiens cum Judæis Templum illud, de quo sermo est *Agg*. II. et *Malach*. III. esse ab ipso Messia excitandum, ac proinde non fuisse illud, quod restauratum est, post captivitatem Babylonicam?

℟. Manifeste erraret; tum quia ibi sermo est de re tunc præsenti, cum dicatur *domus istius novissimae*; tum quia ideo Judæi incendebantur desiderio ad illud templum reædificandum, quia in ipsum ingressurus erat Messias.

§. III.

§. III.

MESSIAS A PROPHETIS PRÆNUNTIATUS EST CHRISTUS.

Q. Quis est ille Messias a Prophetis prænuntiatus?

℟. Est Christus. Nam 1. Christus venit eo tempore, quo Prophetae prædixerunt, Messiam venturum fore. Venit enim cum Regnum Judaicum desiit, nempe regnante *Herode*, quem fuisse genere *Ascalonitam* tum Josephus Hebræus, tum vetustissimi Patres; ut *Origenes*, *Eusebius*, *Hieronymus* aliique testantur; quod prædixit Jacob *Genes.* XLIX. Venit in fine LXX. hebdomadum: occisus est, negante eum populo: post ejus mortem Templum, et Urbs funditus eversa sunt; quod prædictum legimus *Daniel.* IX. Venit stante Templo post captivitatem Babylonicam restaurato, et in illud ingressus est; quod prædictum fuerat *Agg.* II. et *Malach.* III. 2. Christo conveniunt omnes characteres, quibus in veteri Testamento describitur Messias; nam Messias prædicitur nasciturus in Bethleem. *Micheae* V. 2. *Et tu Bethleem Ephrata . . . . ex te mihi egreditur, qui sit Dominator in Israel*; at Christus natus est in Bethleem, *Matth.* II. 1. *Cum ergo natus esset Jesus in Bethleem.* Messias dicitur nasciturus ex familia David: *Isaiae* VII. *Egredietur virga de radice Jesse*; at Christum natum esse de familia David

vid constat ex genealogia, quam a David ad ipsum textam legimus *Matth.* I. Messias prædicitur pauperem vitam acturus, *Zacch.* IX. 9. *ecce Rex tuus ipse pauper*; at Christus natus est, et ita vixit pauper, ut non haberet *ubi caput declinaret*. Messias erat prædicaturus, *Isaiae* LXI. 1. *ad annuntiandum mansuetis misit me*, et prædicationem suam confirmaturus miraculis, *Isaiae* XXXV. 5. *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum*; at Christum prædicasse, et prædicationem suam miraculis confirmasse constat ex Historia Evangelii. Denique, missis cæteris, ea, quæ a Prophetis prædicta sunt de passione, et morte Messiæ, ita adamussim adimpleta sunt in passione, et morte Christi, ut potius videantur historia rei præteritæ, quam rei futuræ prædictio: ex. gr. Christus venditus est triginta argenteis; quod prædictum est de Messia *Zacch.* XI. 12. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis*: Christus verberibus, sputis, et aliis contumeliis oneratus est; quod prænuntiatum est de Messia *Isaiae* I. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me*: Christus cruci affixus est; quod prædictum de Messia legimus *Psal.* XXI. *foderunt manus meas, et pedes meos*: Christus felle, et aceto potatus, quod Messiæ eventurum scriptum est, *Psal.* LXVIII. *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea*

po-

potaverunt me aceto: Christus resurrexit a mortuis; quod de Messia prædicitur *Psal.* XV. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Quid amplius? Ergo concludendum est, Messiam prænuntiatum a Prophetis esse Christum Jesum.

Q. Quomodo Judæi in animum inducere possunt, ut credant, Christum esse Messiam, cum Christus fuerit pauper, et humilis; Messias vero dicatur *Rex magnus*, et *Dominator*. *Psal.* LXXI. *Dominabitur a mari usque ad mare?*

℟. Regnum Messiæ, quod prædicitur in veteri Testamento, non futurum erat terrenum; nam ipse cum esset Deus-homo, fuisset Dominus Cœli, et terræ; sed regnum illud futurum erat cœleste, et spiritale, h. e. in animos hominum. Quod Christum jam obtinuisse patet ex eo, quod ubique gentium salutetur *Rex Israel Salvator*.

Q. Jacob *Genes.* XLIX. prædixit Messiam venturum, cum ablata foret regia potestas de Juda, quam constat ablatam fuisse a tempore captivitatis Babylonicæ; quomodo igitur Messias potest dici esse Christus, qui venit longo post tempore?

℟. Missis variis Theologorum responsionibus, dicimus tempore captivitatis Babylonicæ potius fuisse in gente Judaica regiae potestatis interruptionem, quam amissionem; nam soluta captivitate Babylonica Zorobabel de tribu Juda, imo de familia David, fuit dux populi. Deinde cum regiae potestatis usus, et administratio ad Machabaeos pertran-

transiit, et in illis perseveravit, id factum est ex electione ipsorum Judaeorum. Non enim diceretur Rex amittere regiam potestatem ex eo, quod non invitus, sed volens regiae potestatis usum, et administrationem alteri permitteret.

C A P. III.

De Christi Divinitate. Est contra Haereticos.

§. I.

Christus est verus Deus. ex Scripturis.

Q. Christus estne verus Deus?

℟. De fide est, Christum esse verum Deum ex Scripturis, contra *Cerinthum*, *Ebionem*, aliosque. Nam 1. Christo tribuitur in Scripturis nomen Dei. *Rom.* IX. 5 *Quorum Patres, et ex quibus est Christus, qui est super omnia Deus benedictus in saecula*; Et *Joann.*XX. 28. ipse appellatus est a *Thoma*, post resurrectionem, *Deus*, cum ei increpanti incredulitatem *Thomae* respondit *Thomas* . . . . *Dominus meus, et Deus meus* (in textu originali habetur *Theos* cum articulo, *o*, quod nomen nonnisi soli, et vero Deo convenit) . . 2. Christo in Scripturis tribuuntur proprietates Dei

Dei. ut *aeternitas*. Joan. XVII.. 5. *Clarifica me tu Pater . . . . . claritate, quam habui priusquam mundus esset apud te*, h. e. ab aeternitate., et *omnipotentia*.. Apoc.IV. 8. *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus omnipotens*; et *cordium cognitio*. Joan. XI. 17. ipsi ait Petrus: *Domine tu omnia nosti: tu scis, quia amo te*. 3. Christo conveniunt operationes solius Dei propriae. 1. rerum omnium creatio, et conservatio *Joan* V. 17. et 18. *Quaecumque Pater fecerit, haec et Filius similiter facit. Pater meus usque modo operatur, et ego operor*. 2. potentia patrandi miracula *Joan*. V. 21. *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et filius, quos vult, vivificat*. 4. Christo competit *adoratio*. Heb. 1. 6. *Et adorent eum omnes Angeli ejus*; et aequalitas cum Patre. *Philipp*. II. 6. *non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo*. Ergo ex his omnibus debemus concludere, Christum esse verum Deum.

Q. Si ex Scripturis Christus est verus Deus, quo pacto ait: *Pater major me est*. *Joan*. XIV. 28.

℟. Dixit Patrem esse majorem se, secundum naturam humanam; non vero secundum naturam divinam, in qua aequalis est Patri.

Q. Si Christus est verus Deus, cur in sacris litteris asseruit *solum* Patrem esse *verum Deum*. *Joan*. XVII. 3?

℟. Ibi dixit Patrem esse *solum verum Deum* ad excludendos falsos Gentium Deos, non

non vero ut etiam a seipso excluderet divinitatem, quam se habere centies testatus est; et variis argumentis demonstravit.

Q. Christus ipse explicavit *Joan.* X. 12. quo pacto seipsum *Deum* appellabat, nempe eo modo, quo homines solent appellari *Dii* in Scripturis; quare ergo dictum est Christum esse verum Deum?

℟. Christus citato loco usus est argumento a *minori* ad *majus*, ut inquiunt, contra Judaeos; quasi ipsis dixisset: si nullum scandalum accipitis ex eo, quod meri homines in Scripturis appellantur *Dii*, quare in tantum odium apud vos vocor, quod me verum Deum appellaverim *Filium Dei*?

Q. Homines appellantur *Dii* in sacris litteris. Quid prohibet putare Christum, licet purum hominem, eodem pacto appellatum esse *Deum* in Scripturis?

℟. Cum homines aliquando nominati sunt *Dii* in sacris litteris semper aliquid additum est, quo patuisset, ipsos nominari *Deos improprie* ex. gr. cum legitur *ego dixi Dii estis vos*, subjungitur: *vos autem sicut homines moriemini.* At Christus absolute nominatus est *Deus*, eæque proprietates, et operationes ipsi tributæ sunt, quæ non possunt nisi soli, et vero Deo convenire.

§. II.

§. II.

CRISTUS EST VERUS DEUS. EX TRADITIONE.

Q. Quomodo demonstratur ex traditione, Christum esse verum Deum?

℟. Demonstratur recitando testimonia SS. Patrum, præsertim eorum, qui primis sæculis Ecclesiæ floruerunt. 1. Ignatius Martyr *Epist.* ad *Ephes.* loquens de Christo ait: *Unus est medicus . . . . factus in carne Deus, in morte vita vera, et ex Maria, et ex Deo*. 2. Justinus in *Dialog. cum Tryphone* ex professo confutat Judæos, qui negabant, Christum esse Deum. 3. Irenæus in libris *contra haereses libr.* IV. *cap.* II. *Ipse igitur Christus*, ait, *cum Patre vivorum est Deus*. 4. Cyprianus *Epist.* LXIII. *ad Coecilium* appellat Christum *Dominum*, et *Deum nostrum*. 5. idem docuerunt Clemens Alexandrinus, Origenes, Athanasius, aliique. Unde Concilium Nicænum disertis verbis docuit in Symbolo Jesum Christum esse *Filium Dei unigenitum*, *ex Patre natum ante omnia saecula*, *Deum verum de Deo vero* etc. Dixi; *Patrum praesertim eorum*, *qui primis saeculis floruerunt*; nam ipsi Hæretici non diffitentur Patres, qui post Concilium Nicaenum vixerunt, divinitatem Christi constanter docuisse, propterea ab eorum testimoniis recensendis abstinuimus. Quæ vero contra traditionem priorum sæculorum opponi solent per-

pertractata, et soluta sunt generalibus responsionibus in *Tractatu* de *Trinitate* , ubi de Divinitate Verbi Divini sermo fuit .

C A P. IV.

De Humanitate Christi .

§ I.

Christus est verus homo .

Q. Christus estne verus homo ?

℟. Dogma fidei est , Christum esse verum hominem . Nam . I. ad *Tim.* II. 5. dicitur de Christo : *Unus Deus , unus et mediator Dei , et hominum , homo Christus Jesus* . Et *Joan* . VIII. 4. Christus ait de seipso: *quaeritis me interficere hominem* . Ergo est verus homo .

§. II.

Christus habet veram animam rationalem .

Q. Christus habetne veram animam rationalem ?

℟. Negarunt *Apollinaristae* , ex quibus nonnulli tribuerunt Christo solam animam *sensitivam* . At nos dicimus de fide esse , Christum habere et habuisse veram animam re-

rationalem. Nam 1. Christus ipse animam suam nominat. *Joan.* X. 17. *Ego pono animam meam*. Quae utique rationalis erat, non vero *sensitiva*; nam per eam Christus intelligebat, volebat, et orabat, ut patet ex Evangelio. 2. Patres, praesertim *Athanasius*, *Epiphanius*, et *Augustinus* ex professo *Apollinaristas* contrarium sentientes impugnarunt. 3. Error contrarius damnatus est in duobus Conciliis Alexandrinis sub *Athanasio*, in Concilio Romano sub *Damaso* et Constantinopolitano I. 4. Denique Christus erat verus homo, ut demonstratum est §. praecedenti; sed quo pacto esse poterat verus homo, absque vera anima rationali? Ergo Christus habuit, et habet veram animam rationalem.

Q. Si in Christo est vera anima rationalis, cur dicitur Verbum assumpsisse solam carnem. *Verbum caro, factum est Joan.* 1. 14.?

℟. In allato textu *caro* significat totam naturam humanam per *synecdochen*, qua figura ponitur *pars* pro *toto*. Qui loquendi modus non est infrequens in sacris litteris, ut, præter cætera, *Genes* VI. 12. ad significandum homines, utique ex anima, et corpore constantes, a viis Domini in vias corruptionis declinasse, legitur: *Omnis caro corruperat viam suam*. Ideo vero potius caro, quam anima in recitatis verbis posita est, ut magis commendaretur Dei in homines amor, qui usque eo pervenit, ut ipsam car-

nem,

nem, quamvis Deo videretur indigna, Verbum non sit dedignatum assumere.

Q. Cui usui necessaria erat anima rationalis in Christo, cum in ipso persona Verbi potuisset ipsius vices gerere, nempe movere corpus, aliaque id genus peragere?

℟. Necessaria erat, ut ipse esset verus homo, ipsiusque operationes humanæ; et ut posset per passionem, et mortem, quorum capax non erat Verbum, genus humanum redimere.

§. III.

Christus habuit verum corpus humanum

Q. Christus habuitne verum corpus humanum?

℟. Negarunt Christum habuisse verum corpus humanum 1. *Phantasiastae*, qui putantes carnem a malo principio fuisse productam, juxta hæresim Manichaeorum, docuerunt, Christum fuisse hominem per phantasma. 2. *Valentinus*, ejusque discipuli, tribuentes Christo corpus cœleste, et àëreum, quod per Virginem, veluti per canalem, transierat. At nos dicimus de fide esse, Christum habuisse verum corpus humanum. Nam 1. Christus fuit verus homo, neque tamen vere homo esse potuisset, absque corpore humano. 2. *Joan.*IV.2. legitur: *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est*. 3. Passim tri-

buuntur Christo in sacris litteris corpus, et omnia membra humana, ut legenti patet, quem loquendi modum in scripturis ad metaphoram detorquere absque ulla ratione, apertissima insania, et hæresis est. Ergo Christus habuit verum corpus humanum.

Q. Quare membra humana, quæ Christo tribuuntur in sacris litteris non possunt accipi per metaphoram, cum membra humana aliquando Deo attributa in sensu metaphorico exponantur in *Tractatu de Deo?*

℟. Quia, cum ex Scriptura ipsa, ex Traditione Patrum, et ex ratione Theologica apertissime constet, Deum neque corpus esse, neque alicui corpori conjunctum, necessario cogimur membra humana Deo attributa explicare in sensu metaphorico. At cum sacrae litterae in novo Testamento ubique prædicent, Christum fuisse hominem, ipsique tribuant membra humana, in quibus passus, et mortuus est, hæreticum esset Scripturæ testimonia ad metaphoram detorquere; siquidem ea re asserta, tota concideret divinæ Incarnationis œconomia.

§. IV.

§. IV.

Christus verum corpus humanum, quod habuit, sumsit ex Maria.

Q. Christus unde sumsit corpus humanum?

℟. Sumsit ex Maria, et est de fide. Nam 1. Christus in Scripturis frequenter dicitur genitus *ex semine David*, et *Abraham*, h. e. ex Maria, quæ ut constat ex genealogia Christi *Matth.* 1. a David, et Abraham originem suam ducebat. 2. *Matth.* I. expresse dicitur Christus *natus* de Maria, et expressius *Galat.* IV. 4. *Factus ex Muliere*. Hinc patet quam manifeste errarunt *Valentinus*, ejusque discipuli, qui docuerunt, Christi corpus fuisse àëreum, et cœleste, quod non ex Maria sumserat, sed per eam veluti per canalem transierat.

Q. Si corpus Christi non fuit àëreum, et cœleste, sed ex Maria sumtum, quare Christus dicitur I. *Cor.* XV. 45. *de cœlo cœlestis*?

℟. Christus ibi dicitur *cœlestis* propter personam divinam, propter animam cœlestibus donis ornatam, et propter dotes cœlestes, quibus ejus corpus post resurrectionem fuit donatum, non vero propter corpus ex materia cœlesti, et àërea compactum.

bens de Spiritu sancto . . . . hoc autem totum factum est , ut adimpleretur , quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem : ecce virgo in utero habebit , et pariet Filium . Quid clarius ? Quod vero Maria fuerit virgo etiam post partum , constat ex perpetua Ecclesiæ Traditione ; unde ait Epiphanius *Haeresi* LXXVIII. *Quis ullo tempore unquam extitit , qui S. Mariae nomen appellare auderet , et non vocatus subinde Virginis vocabulum adjiceret ?* et Basilius *Homil.* XXV. *de Nativit. Christi* , ait : *Christi amantium aures non sustinent hoc audire, quod Dei Genitrix aliquando Virgo esse desierit* . Ergo Maria fuit Virgo ante partum , in partu , et post partum .

Q. Si Maria fuit Virgo ante partum , et in partu , cur obnoxia fuit legi *purgationis* , cui subdebantur duntaxat foeminæ ex partu immundæ ?

℟. Maria servavit eam legem non ex debito , sed propter exercitium humilitatis , et obedientiæ . Sicut Christus , ait S. *Thomas* 3. p. q. XXXVII. *art.* 4 *Licet non esset legi obnoxius , voluit tamen circumcisionem , et alia legis onera subire ad demonstrationem humilitatis , et obedientiae exemplum . . . . propter easdem rationes voluit , et matrem suam implere legis observantias , quibus tamen non erat obnoxia* .

Q. Si Maria fuit Virgo post partum , quo pacto Christus *Matth.* I. 25. dicitur *Mariae*

Christo nullam esse *idiomatum* communicationem, ut ajunt; h. e. non posse dici: *Deus est homo*, *homo est Deus*, *Deus est mortalis*, *homo est aeternus*, etc. Hujusmodi errores, et ipse *Nestorius* multoties damnati fuerant, donec, ut turbis ea occasione excitatis opportunius occureretur, habitum est Concilium Ephesinum anno CCCCXXX. in quo *Nestorius* Episcopatu spoliatus, in exilium missus est, et tandem in Oasim miserrime periit, lingua vermibus scatente.

§. II.

In Christo unica est Persona, eaque divina.

Q. Quot sunt in Christo personæ?

℟. In Christo unica est persona, eaque divina; et est de fide. Nam 1. *Cap.* II. §. I. ostendimus, Christum esse verum Deum. At si alia esset persona Verbi, et alia persona Christi, solo morali nexu conjunctæ, ut Deus conjungitur cum homine justo, Christus dici non posset Deus; quis enim unquam dixit, hominem justum esse verum Deum, ex eo, quod Deus in justo inhabitat? Igitur persona Christi est divina, cum qua natura humana *hypostatice* conjuncta est. 2. *Philipp.* II 6. Idem Christus dicitur habere duas *formas*, h. e. duas naturas. *Qui cum in for-*

 ma

ma Dei esset . . . . . . *semetipsum exinanivit formam servi accipiens* . . . . *Humiliavit semetipsum , factus obediens usque ad mortem*. Ergo duæ illæ naturæ, nempe divina, et humana in unica persona subsistunt; alioquin non diceretur, eundem Christum habere duas formas, seu naturas, sed Verbum habere naturam divinam, et Christum naturam humanam. 3. Ecclesiæ Patres idem dogma constanter docuerunt. Dionysius Alexandrinus in *Epist. Synod.* ad Paulum Samosatenum eum refellit, quod asseveraverit, *duas hypostases, et duas personas unius Christi, sive Christos esse duos, duosque Filios*. Athanasius *lib. de Incarnat.* inquit: *Christum unam esse personam, et non duas*. Ambrosius *lib. de Incarnat. Cap.* V. *Utrumque unus*. . . . . *non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine.* Nazianzenus *Orat.* XXXI. *Naturae duae in unum concurrentes, et non duo Filii*. 4. Ecclesia eamdem personæ divinæ unitatem in Christo profitetur tum in Symbolo Apostolico, tum in Symbolo Nicaeno dicens eumdem Christum *Filium unigenitum ex Patre natum eante omnia sæcula, Deum de Deo* etc. *descendisse de Cœlo, fuisse incarnatum, passum, crucifixum, etc.* Quæ loquendi rationes essent omnino erroneæ, si in Christo darentur duæ personæ divina, et humana, quia tunc non prædicarentur de eodem Christo hæc, et illa; sed de persona Verbi prio-

ra

ra , de persona vero Christi posteriora enuntiarentur . 5. Denique si in Christo esset duplex persona divina scilicet , et humana , cessaret utique obscuritas hujusce Mysterii , quia Chistus non differret ab aliis Sanctis , nisi quatenus in ipso Verbum specialiori , et nobiliori modo, quam in aliis Sanctis inhabitaret ; in utrisque tamen morali nexu , et concordia voluntatum , quod e diametro opponitur sententiæ Apostoli , qui vocat Mysterium Incarnationis *magnum Mysterium absconditum a sæculis in Deo* . Igitur in Christo unica est persona , eaque divina .

Q. Si in Christo non est persona humana , præter personam Verbi , cur Augustinus , et alii Patres sæpe dicunt, Verbum assumpsisse *hominem* , quæ vox significat personam humanam ?

℟. Augustinus , et alii aliqui Patres dixerunt Verbum assumsisse *hominem* locutione impropria , accipiendo nempe hominem pro natura humana . Cum enim ante exortam *Nestorii* haeresim scripsissent , *innocenter , et minus caute locuti sunt* , ut in alia occasione notat *Hieronymus* , putantes scilicet se intelligi, prout in Ecclesia Catholica credebatur .

Q. Si in Christo unica est persona , quo pacto Scriptura , et Patres docuerunt , Christum esse divinitatis *instrumentum* , *hominem Deiferum* , *templum* Dei viventis , quæ lo-

 quen-

sonalitatis humanæ in natura humana Christi suppletur per personam Verbi, a qua longe nobiliori, et excellentiori modo perficitur.

C A P. VI.

De Duabus in Christo naturis.

§. I.

Exponitur breviter error Eutychetis.

Q. Quid docuit, et in quo positus est error *Eutychetis* ?

℟. *Eutyches* strenue certans contra *Nestorium* in contrarium errorem impegit, nempe, ut adstrueret in Christo unam esse personam, unam quoque naturam in illo statuit. Non tamen satis clare aperuit mentem suam, utrum existimaret in Incarnatione naturam divinam conversam fuisse in humanam, an naturam humanam in divinam, an ex duabus tertiam quamdam naturam emersisse. Occasione hujus erroris variae excitatae sunt turbae in Oriente; aliis suffragantibus, aliis adversantibus *Euthycheti*, donec celebratum est Concilium Chalcedonense anno CCCCLI. in quo *Eutyches*, ejusque haeresis proscripta est.

§.II.

gine, *factus homo*, *passus*, *crucifixus*: ecce natura humana. 5. Error Eutychetis damnatus est primo in Concilio Constantinopolitano sub *Flaviano*, deinde a *Leone M.* denique in Concilio Chalcedonensi Oecumenico. 6. Hæc fidei veritas de duabus in Christo naturis confirmatur etiam ratione Theologica. Quo enim pacto sanæ mentis homo duci potest ad credendum vel naturam Divinam in humanam, vel humanam in divinam fuisse conversam, cum id omnino repugnet? Vel ex duabus tertiam quamdam naturam emersisse, quod est aeque peràbsurdum? Quod putamus adeo absonum ipsi *Eutycheti* visum fuisse, ut ipsum puduerit, hac de re mentem suam aperire.

Q. Si in Incarnatione natura divina non est conversa in naturam humanam, quo pacto legimus *Joan.* I. 19. *Verbum Caro factum est?*

℞. *Verbum* dicitur citato loco *caro factum* eo sensu, quod manens Deus assumpsit naturam humanam, sibique *hypostatice* conjunxit, nempe *id*, *quod fuit permansit*, *et quod non erat assumpsit*: *non commixtionem passus*, *neque divisionem*.

Q. Si ex duabus naturis divina, et humana non emersit quaedam alia tertia, quare Patres appellant Incarnationem *mixtionem*, *mixturam*, *permixtionem?*

℞. Patres aliquando appellarunt Incarnationem *mixtionem*, *mixturam*, *permixtionem* non in sensu Eutychiano, sed ut ostende-

C A P. VII.

De duabus in Christo voluntatibus, et operationibus.

§. I.

Exponitur breviter hæresis Monothelitarum.

Q. Quaenam fuit haeresis *Monothelitarum?*

℟. Palmaris *Monothelitarum* haeresis non in eo posita erat, quod admitterent quidem in Christo duas voluntates, h. e. divinam, et humanam sumtam pro volendi potentia; et assererent unam tantum in ipso fuisse operationem nempe solius voluntatis divinæ. Sed in eo haeresis sita erat, quod et duas voluntates, et duas operationes a Christo ablegarent, ut patet ex *Epist. Agathonis* Papae definientis contra *Monothelitas* dari in Christo duas naturales voluntates, et duas naturales operationes. Haec haeresis damnata quoque fuit in Concilio Costantinopolitano III.

§. II.

§. II.

DUÆ SUNT IN CHRISTO VOLUNTATES, ET OPERATIONES, DIVINA, ET HUMANA.

Q. Quot sunt in Christo voluntates, et operationes?

℞. Dogma fidei est, duas esse in Christo voluntates, et operationes, scilicet divinam, et humanam. Nam 1. demonstravimus *Cap.* VI. §. II. in Christo duas esse naturas integras, divinam, et humanam. At natura humana sine voluntate impossibilis est; voluntas sine operatione inutilis est. Igitur si praeter naturam divinam in Christo, quam agnoscunt adversarii, est quoque natura humana, debet esse etiam humana voluntas, et operatio. 2. Christus in sua passione ait ad Patrem *Matth.* XXVI. 39. *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* In quae verba sic juvat animadvertere: cum ait Christus *non sicut ego volo*, certe non est locutus de voluntate sua divina, quae cum ipsi communis esset cum Patre, et Spiritu S. volebat eam passionem. Igitur locutus est de voluntate humana, qua, propter horrorem naturalem mortis, quasi nolebat passionem. Rursus, *Philipp.* II. 6. *Christus humiliavit semetipsum, factus obediens.* Atqui humiliare se, et obedire non sunt propria voluntatis, et operationis divinae. Ergo

Ergo sunt propria voluntatis, et operationis humanae. 3. Patres eandem veritatem constanter docuerunt. Sufficiat pro omnibus Augustinus *lib. cont. Maximin. cap.* 20. *Haec humana voluntas erat proprium aliquod, et tamquam privatum volens.* 4. Monothelitarum hæresis damnata est primum in Concilio Lateranensi sub *Martino* I. deinde in Concilio VI. Oecumenico, nempe Constantinopolitano III. 5. Christus meruit. At mereri non poterat, nisi per voluntatem, et operationem humanam subsistentem in Verbo. Igitur in Christo sunt duæ voluntates, et operationes, scilicet divina, et humana.

Q. Vulgare est adagium: *actiones sunt suppositorum*. Si ergo in Christo unicum est *suppositum*, nempe persona Verbi, cur non dicendum est pariter, unam in ipso esse operationem, nempe divinam?

℟. Sensus propositi adagii est, quod actiones tribuuntur supposito sive una, sive altera substantia in ipso subsistente eas producat. Unde actiones vel naturæ divinæ, vel naturæ humanæ in Christo tribuebantur Verbo, quod erat suppositum, in quo ambæ illæ naturæ subsistebant. Sed cum duplex sit natura, sive duplex principium, quo Verbum operationes illas producebat, dicendum est, Christi actiones, sive operationes duplicis generis fuisse, nempe divinas, et humanas.

Q. Instrumenti, et principalis agentis una

na est operatio, ex. gr. serræ, et artificis fabri una est operatio. Cum igitur natura humana Christi nuncupetur a Patribus *instrumentum* divinitatis, quare non est dicendum, unam esse in Christo operationem?

℟. Cum instrumentum est inanimatum, ut serra in manu artificis, tunc ipsius actio non distinguitur ab actione artificis, sed una utriusque est. At natura humana Christi non erat instrumentum inanimatum divinitatis. Quis ex. gr. diceret operationem servi non esse diversam ab operatione Domini ex eo, quod servus dicatur instrumentum Domini sui?

Q. Si duæ essent in Christo operationes, nempe divina, et humana, quo pacto Pontifex *Honorius* unam in Christo operationem posuit?

℟. Missa longiori de facto *Honorii* responsione, dicimus 1. nonnullos voluisse *Honorium* nunquam in ea sententia stetisse, sed falso adversarios Græcos hanc calumniam ipsi impegisse. 2 alios putare revera *Honorium* in hæresim Monothelitarum incidisse, sed ut privatum Doctorem, non vero ut definientem ex *cathedra*. Verum cum legenti *Honorii* Epistolas evidenter constet, *Honorium* duas voluntates, et operationes agnovisse in Christo, opinamur, in eo male se gessisse *Honorium*, quod tacuerit, vel potius faverit hæreticis, licet aliud sentiret, sive ut ait *Leo* II. *Epist.* ad *Episcop. Hispan. flammam haeretici dogmatis non ut*

de-

decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligenter confovit.

Q. Quotuplicis generis distinguendæ sunt in Christo operationes?

R. Triplex genus operationum distinguendum est in Christo. Quaedam sunt mere humanae, ut comedere, bibere, flere, pati, etc. Quaedam mere divinae, ut creare, conservare. Quaedam mixtae h. e. proficiscentes ex divina natura, ut caussa principali, et ex humana natura, ut caussa instrumentali, ut resuscitatio Lazari, illuminatio cæci etc. Quae postremæ operationes dicuntur a Theologis vocabulo ex graecis nominibus latino reddito *theandricae*, h. e. divinae-humanae.

CAP.

quo igitur pacto dici potest Mater Dei?

℟. Ut B. M. Virgo sit, et dicatur Mater Dei non requiritur, ut genuerit divinitatem, quae, ut dictum est in *Tractatu de Deo*, *non gignit*, *non gignitur*, *nec procedit*; sed sufficit, ut genuerit eum, cujus persona divina est, ideoque verus Deus. Sic in divinis prima persona non dicitur *Pater* secundæ personæ, quia genuit divinitatem ejus, quod esset absurdum, et hæreticum asserere; sed quia genuit eum, qui ab æterno est ejus *Verbum*, et *Filius*. Quod patet etiam in generationibus humanis, in quibus anima creatur a Deo, non vero generatur a Matre; persona autem hominis resultat ex conjunctione animæ cum corpore; et tamen, quæ gignit tantum corpus, dicitur vere, et proprie *Mater* hominis.

Q. Persona Verbi divini non est genita a B. M. Virgine, quomodo igitur B. M. Virgo est Mater Dei?

℟. 1. Dictum est supra, nequidem personam hominis generari in generationibus humanis, sed resultare ex conjunctione animæ, et corporis, et tamen ea, quæ tantum generat corpus dicitur Mater hominis. 2. Persona Verbi genita est ab æterno ex Patre secundum naturam divinam, in tempore a B. M. Virgine secundum naturam humanam.

Q. Spiritus S. plus contulit ad Incarnationem Verbi, scilicet creando animam, formando corpus, et utrumque hypostasi Verbi

bi divini conjungendo, quam B. M. Virgo, quæ tantum substantiam carnis subministravit. Si igitur Spiritus S. non potest dici Pater Dei, quomodo B. M. Virgo dicenda est Mater Dei?

℟. Spiritus Sanctus dici nequit Pater Dei, quia Christus nihil accepit de substantia Spiritus S., quemadmodum accepit carnem de B. M. Virgine. Ergo licet Spiritus S. plus contulit, dici non potest Pater Dei, ut B. M. Virgo dicitur Mater Dei.

§. II.

In Christo datur Communicatio idiomatum.

Q. Quid est communicatio *idiomatum*, de qua hic fit sermo?

℟. *Idioma* Græce idem est, ac latine *proprietas*. Unde communicatio *idiomatum* est communicatio *proprietatum*. Cum nempe unus, idemque Christus sit una persona duas habens naturas divinam, et humanam, propter quas est verus Deus, et verus homo, aliquando *proprietates* humanæ prædicantur de Christo-Deo; et aliquando *proprietates* divinæ prædicantur de Christo-homine ex. gr. dicitur: *Deus est homo*, et *homo est Deus*: *Deus est natus*, *passibilis*, *mortalis*, *passus*; *mortuus*: et *homo est aeternus*, *immensus*, *immortalis*.

Q.

Q. Daturne revera in Christo hæc *idiomatum* communicatio ?

℟. Dogma fidei est, in Christo esse agnoscendam *idiomatum* communicationem . Nam 1. In Scripturis , ubi sermo est de Christo, aliquando tribuuntur Deo , quæ sunt hominis propria , ex. gr. *Act.* XX. 28. dicitur , *Deus acquisivisse Ecclesiam sanguine suo* ; et I Cor. XI. 8. *Dominus gloriae* dicitur *crucifixus* : aliquando e contrario tribuuntur homini, quæ sunt Dei propria, ex. gr. *Joan.* VIII. 58 dicitur Christus homo fuisse *antequam Abraham fieret* , h. e. ab æterno ; et *Joan.* III. 13. *Filius hominis* dicitur *esse in Caelo , et in terra* , h. e. immensus . 2. Patres hanc *idiomatum* communicationem in Christo constanter agnoverunt . Augustinus *lib.* 2. *contra Maximin. cap.* 20. inquit : *Si attendas distinctionem substantiarum Filius Dei de Caelo descendit , et Filius hominis crucifixus est : si unitatem personae , et Filius hominis descendit de Cœlo, et Filius Dei crucifixus est* . Nazianzenus *Orat.* 2. ait : *Quae sunt hominis propria , Deo , et quae Dei sunt, homini tribuuntur , ratione conjunctionis* . Et simili modo alii . 3. Denique eadem veritas definita est in Concilio *Ephesino* .

Q. Quo pacto palam fieri potest , hujusmodi communicationem *idiomatum* nullam contradictionem involvere ?

℟. Cum in Christo unica sit persona , et duae naturae, divina , et humana , si termini propositionum , quae enuntiantur , solvuntur

in sua *subjecta*, et *praedicata*, modo *Logicorum*, statim patebit, eam nullam contradictionem involvere. Sic *homo* idem est ac ille, qui habet humanitatem; *Deus* idem est ac ille, qui habet divinitatem; *immensus*, qui habet immensitatem; *aeternus*, qui habet aeternitatem; *mortalis*, qui habet mortalitatem: et sic de caeteris. Quibus positis; cum enuntiantur hae propositiones: *homo est Deus*, et *Deus est homo*, ita exponi debent: ille, qui habet humanitatem, habet etiam divinitatem; et vice versa. Rursus cum dicitur *homo est immensus*, sensus est, eum, qui habet humanitatem, habere etiam immensitatem, et sic de aliis; quæ omnia de Christo vere, et sine contradictione dici posse, quis neget? Quam regulam exponendi terminos quarumcumque propositionum, quæ de Christo prædicantur, si præ oculis semper habeamus, facillime patebit, quæ veræ, et quæ falsæ sunt propositiones, quæ Christum respiciunt, posita in Christo una persona, et duplici natura.

Q. Ne erretur; quænam sunt illæ proprietates, quæ locum habent in *idiomatum communicatione*?

℞. 1. Proprietates vel enuntiantur per vocabula *abstracta*, ut sunt *immensitas*, *aeternitas*, *divinitas*, *mortalitas*, *humanitas*; vel per vocabula *concreta*, ut sunt *immensus*, *aeternus*, *divinus*, *immortalis*, etc. 2. Vocabula *abstracta* proprie loquendo denotant *naturam*; vocabula *concreta* indicant *personam*. 3. Vocabula *concreta* si *redupli-*

can-

cantur , ut inquiunt Scholæ , exprimunt *naturam* . His positis 1. Proprietates per vocabula *abstracta* expressa non possunt de se invicem prædicari ; ex. gr. dici nequit : *humanitas est divinitas* ; alioquin sensus esset, naturam humanam esse naturam divinam , quod est absurdum . 2. Proprietates per vocabula *abstracta* enuntiatæ non possunt prædicari de proprietatibus per vocabula *concreta* significatis ; neque e contrario ; ex. gr. dici non potest: *divinitas est homo*:vel *Deus est humanitas* ; alioquin sensus esset naturam divinam esse personam hnmanam, vel personam divinam esse naturam humanam; quod æque perabsurdum est.3.Cum in propositionibus *reduplicativis* proprietas per vocabulum *concretum* enuntiata significet naturam nequit dici : *Christus, ut homo, est immensus* ; significaret enim humanam naturam , esse immensam . Igitur tunc tantum recte procedit communicatio *idiomatum* , cum proprietates per vocabula *concreta* enuntiatae de proprietatibus per vocabula *concreta* enuntiatis prædicantur ex. gr. *Deus est homo* : *homo est Deus* : *Deus est mortalis* : *homo est aeternus* ; et sic de cæteris .

III.

CHRISTUS DICI NON POTEST FILIUS DEI ADOPTIVUS.

Q. Christus potestne dici Filius Dei *adoptivus?*

℟. *Felix*, et *Elipandus* Hispani VIII. saeculo docuerunt, Christum posse dici Filium Dei *adoptivum*; at nos dicimus, Christum nullo pacto dici posse Filium Dei *adoptivum*. Nam 1. Scripturae quoties de Christo, etiam ut homine, loquuntur, nunquam illum appellant Filium *adoptivum*, sed *proprium*, *Unigenitum*, *dilectum*, *verum*, ut legenti sacras litteras constat. Neque Christus in Evangelio Patrem communi nomine vocat *Patrem nostrum*, sed *Patrem meum*, et *Patrem vestrum*, *Joan.* XX. 17. ut significaret, se esse Filium *naturalem*, et justos filios *adoptivos*. 2. Patres idem docent. Hilarius *lib.* III. de *Trinit.* inquit: *Christus verus, et proprius Filius est origine, non adoptione*; et Augustinus. *Tract.* VII. *in Joan. Oportebat, ut ille baptizaret, qui est Filius Dei unicus, non adoptivus*; aliique. 3. Sententia *Felicis*, et *Elipandi* damnata est ab *Adriano* I. et in variis Conciliis Provincialibus. 4. Adoptio est assumptio personae extraneae ad hereditatem, ad quam jus non habet. At persona Christi non est persona extranea, sed ipsa persona Verbi, Filius Dei naturalis. Ergo

Chri-

Christus dici nequit Filius Dei *adoptivus* . ,

Q. Potestne dici : *Christus, ut homo, est Filius Dei adoptivus ?*

℟. Minime . Nam etsi diximus supra , *reduplicationem* coarctare sensum propositionis ad significandam naturam , non vero personam ; tamen cum filiatio semper respiciat personam , in proposita enuntatione *homo* accipitur pro persona , ac proinde cum persona in Christo sit Verbum , sive Filius Dei naturalis , dici nequit : *Christus, ut homo, est Filius Dei adoptivus* .

Q. Effectus gratiæ sanctificantis est *adoptio* . Cum igitur Christus fuerit ornatus eximiis gratiæ donis , cur non potest dici Filius Dei *adoptivus* ?

℟. Gratia efficit *adoptionem* in subjecto capaci *adoptionis* , h. e. in persona extranea , quæ assumitur ad hereditatem . Cum ergo persona Christi non fuerit persona extranea , dici non potest *adoptata* . Neque sequitur , gratiam in Christo caruisse effectu suo ; nam adoptio est effectus *secundarius* , qui producitur in subjecto idoneo ; effectus vero *primarius* gratiæ est reddere subjectum Deo carum , quo effectu gratia Christi non caruit .

Q. Estne hæreticum asserere , Christum , prout homo est , esse Filium Dei *adoptivum* ?

℟. Quoniam nonnulli Theologi Catholici contendunt , *Felicem* , et *Elipandum* damnatos fuisse , quia dixerunt Christum dici posse Filium Dei *adoptivum* in sensu *Nestorii* ; nec addidisse ea verba, *prout homo*

est, existimamus abstinendum esse ab inurenda hæreseos nota iis, qui assererent Christum, prout homo est, dici posse *Filium Dei adoptivum*. Verum negari tamen non potest, eam propositionem esse *temerariam*, et *erroneam*, cum neque in Scripturis, neque in Traditione fundamentum habeat; et ex ea sequatur, plures esse in Christo personas.

§. IV.

Christus dici potest praedestinatus Filius Dei.

Q. Christus potestne dici *praedestinatus Filius Dei?*

℟. Dici potest Christus *praedestinatus Filius Dei*. Nam 1: Apostolus *Rom.* 1. 3. expresse ait de Christo: *qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis*. Et licet Patres Graeci doceant, *praedestinatum* eo loci idem esse, ac *declaratum*, tamen Patres Latini, duce Augustino, contendunt ibi *praedestinatum* accipiendum esse pro vera *praedestinatione*, et *praeordinatione*. 2. Augustinus *Tract.* CV. *in Joan.* ait: *quisquis Filium Dei praedestinatum negat, hunc eumdem Filium hominis negat*. 3. Sensus illius propositionis est: ab æterno prædestinatum est, ut Verbum assumeret in tempore naturam humanam, et fieret homo, qui esset Filius Dei naturalis. Qua in re quid latet absurdi? Igitur Christus dici potest *praedistinatus Filius Dei*.

Q. .

Q. Quia *adoptio* respicit personam; dictum est supra, Christum non posse dici Filium Dei *adoptivum*. Cum ergo *praedestinatio* etiam respiciat personam, quare Christus dici potest *praedestinatus Filius Dei?*

℟. Quia *adoptio*, et *praedestinatio* diverso modo personam spectant. Nam *adoptio* necessario requirit personam extraneam; at non item *praedestinatio*, ita, ut, qui ab æterno est Filius Dei naturalis in natura divina, prædestinari potuerit, ut assumeret naturam humanam, et fieret homo, ac Filius Dei naturalis in tempore.

Q. Quomodo non repugnat, Christum esse Filium Dei ab æterno, et in tempore?

℟. Repugnaret, si Christus diceretur Filius Dei naturalis ab æterno, et in tempore juxta eamdem naturam, sed dici potest, et debet Filius Dei naturalis ab æterno secundum naturam divinam, et Filius Dei naturalis in tempore secundum naturam humanam.

§. V.

Christus dici nequit Filius Spiritus Sancti, vel SS. Trinitatis.

Q. Christus potestne dici *Filius Spiritus Sancti*, vel *SS. Trinitatis?*

℟. Minime. Nam *Filiatio*, ut supra notavimus, respicit personam. Si igitur Christus posset dici *Filius Spiritus Sancti*, vel *SS. Trinitatis*, sensus esset, personam Christi, nempe Verbum divinum esse Filium

Spiritus Sancti, vel SS. Trinitatis; quo nihil est absurdius.

§. VI.

CHRISTUS NEQUIDEM, PROUT HOMO EST, DICI POTEST SERVUS PATRIS.

Q. Christus, saltem ut homo est, potestne dici *servus Patris*?

R. Si nomen *servi* usurpetur ad significandam personae conditionem, Christus, nequidem ut homo, dici potest *servus* Patris. Et re quidem vera; nullibi in novo Testamento hoc nomine appellatus est Christus, quia persona Christi est ipsum divinum Verbum; quod est Filius, non *servus* Patris. Unde Apostolus *Heb.* I. 6. Christum Moyse excellentiorem esse ostendit ex eo, quod Moyses *tamquam famulus fidelis fuit*; Christus autem *tamquam Filius*. Dixi; si nomen *servi* usurpetur ad significandam personae conditionem; nam si transferatur ad significandum officium *servile*, patet Christum *formam servi* accepisse, et in ea Patri obedientem fuisse, *Philipp.* II. 6. Verum cum hoc nomen *servi* absolute prolatum semper respiciat personae conditionem, concludimus, Christum nullo pacto, etiam ut homo est, dici posse *servum* Patris. Quis enim etiam in humanis diceret, Filium esse servum Patris sui ex eo, quod officium *servile* erga suum Patrem exerceret, eique obedientiam praestaret?

Q.

Q. Si Christus dici non potest *servus*, cur ait Apostolus, eum *formam servi* accepisse *Philipp*. II. 6. ?

℟. Eo loci *forma servi* est natura humana, quae licet in seipsa sit *servilis*, non tamen efficit, ut persona Christi sit, et dici possit *servus*.

§. VII.

Christus dici potest creatura secundum naturam humanam.

Q. Christus potestne dici *creatura*?

℟. Per nos licet, ut dicatur Christus *creatura*, si addatur, *secundum naturam humanam*. Nam 1. Christus dicitur *factus ex semine David*. *Rom*. 1. 3. et *factus ex muliere*. *Gal*. IV. 4. Ea autem vox *factus* utique sonat *creaturam*. 2. Hieronymus in *cap*. II. ad *Ephes*. ait: *non esse periculum, eum* (Christum) *creaturam dicere, quem vermem, et hominem, et crucifixum, et maledictionem tota spei nostrae fiducia profitemur*. Dixi; *si addatur secundum naturam humanam*, ne forte ex propositione absolute posita, abutantur *Ariani*, qui errarunt docentes, Verbum Dei esse *creaturam*.

§. VIII.

CHRISTO DEBETUR ADORATIO, QUÆ DICITUR LATRIA.

Q. Quinam cultus Christo debetur?

℟. Debetur ille cultus, qui dicitur adoratio, sive *latria*. Nam cultus ad personam refertur. Cum igitur persona Christi sit ipsum Verbum divinum, consequens est, ut ipsi adoratio stricte sumta, quam *latriam* vocant, debeatur; sive consideretur Christus secundum naturam divinam, sive humanam. Non enim refert, utrum quis hac, vel illa veste indutus incedat, ut ipsi idem constanter honor praestetur. Unde Concilium V. Oecumenicum *Can.* IX. sic definivit: *si quis in duabus naturis adorari Christum dicit, ex quo duae adorationes introducuntur, seorsim Dei Verbo, et seorsim homini, et non una adoratione Deum Verbum Incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est, anathema sit.*

CAP.

CAP. IX.

In quo exponuntur perfectiones, tum negativæ, tum positivæ ad humanam Christi naturam pertinentes.

§. I.

Ignorantia, et concupiscentia non fuerunt in Christo homine.

Q. In Christo homine fuitne *ignorantia*?

℟. Dogma fidei est, in Christo homine non fuisse *ignorantiam*. Nam, 1. *Joan*. I. 14. Christus dicitur *plenus* . . . *veritatis*; et *Coloss*. II. 3: in Christo fuerunt *omnes thesauri sapientiae*, *et scientiae absconditi*. 2. Augustinus *lib*. II. *de peccat. merit. cap*. 27. *ignorantiam nullo modo*, ait, *crediderim fuisse in homine illo*, *in quo Verbum caro factum est*. 3. Denique Ecclesia damnavit *Agnoëtas*, h. e. haereticos, qui *ignorantiam* Christo tribuebant. Ergo in Christo homine non fuit *ignorantia*.

Q. Si in Christo non fuit *ignorantia*, cur dicitur ignorasse *judicii diem*: *Marc*. XIII. 32.?

℟. Christus eo loci dicitur ignorasse *judicii diem*, quia potestatem non habuerat a Patre cum diem hominibus communicandi. Habebat igitur illius diei notitiam, sed *in-*

 com-

communicabilem, eo nempe modo, quo Sacerdos peccata, quae novit in Sacramentali Confessione, sine mendacio asserit, se nescire.

Q. Si in Christo non dabatur *ignorantia*, cur aliquando *mirabatur*, ut *Matth.* VIII. 10. et aliquando *interrogabat*, ut *Joan.* XI. 34.?

℟. Christus non proprie loquendo dicitur in Scripturis *miratus* esse, et *interrogasse*, quasi revera ignorasset; sed sensus est, ita vultum composuisse, ut *mirari* videretur, ob rei novitatem, et *interrogasse*, more humano, quasi nesciret; ut ipse Deus fecit *Gen.* IV. 9. interrogans Cainum: *ubi est Abel frater tuus?*

Q. Christus *proficiebat sapientia*, *Luc.* II. 53. quare non est dicendum, plura ignorasse, quorum notitiam in dies proficiendo in *sapientia* cognovit?

℟. 1. Nonnulli ajunt, Christum eo sensu *profecisse sapientia*, quatenus in dies praebebat argumenta, sive demonstrationes illius sapientiae, cujus a primo conceptionis momento infusum habitum habuerat. 2. Alii opinantur, in laudato loco sermonem esse de *scientia experimentali*, h. e. Christum in variis circumstantiis expertum esse, quae jam mente noverat. Sive unum, sive alterum arrideat, patet in Christo non fuisse ignorantiam.

Q. In Christo homine fuitne *concupiscentia*?

℟. In Christo homine non fuit *concupiscen-*

scentia. Nam 1. Scriptura docet Verbum non assumpsisse *carnem peccati*, h. e. humanam naturam cum *concupiscentia*, sed *similitudinem carnis peccati*, h. e. naturam humanam similem carni peccati, nempe *concupiscentiae*. *Rom* VIII. 3. *Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati*. 2. Augustinus ad laudatum Apostoli locum certissime mentem habens *lib.* I. *de Nupt. et concup. Cap.* 12. ait: *sine qua* (concupiscentia) *concipi voluit* (Christus) *qui futurus erat sine peccato: non in carne peccati, sed in similitudinem carnis peccati*. 3. Ideo cæteri homines non sunt immunes a fomite concupiscentiae, quia ordinaria via ab Adamo descendunt. Atqui Christus non descendit via ordinaria ab Adamo; sed conceptus, et genitus est ex virtute Spiritus Sancti. Ergo fuit sine *concupiscentia*.

§. II.

Fuerunt passiones quædam in Christo, non reluctantes, sed obsequentes ipsius voluntati.

Q. Christus fuitne obnoxius *passionibus*?

℟. Fuerunt *passiones* quædam in Christo, ut *metus*, *taedium*, *tristitia*, aliaeque id genus. *Marci* XIV. *cœpit pavere, et tædere. Tristis est anima mea usque ad mortem*; et ejusdem *Marci* III. 5. *circumspiciens eos cum ira*. Unde Augustinus in *Psalm.* XCIII. *Tristitiam*, ait *assumpsit*, *quo-*

quomodo carnem; *fuit enim tristis sicut Evangelium dicit*. Et idem asserunt alii PP.

Q. Illæ Christi *passiones* fueruntne similes nostris, h. e. aliquando reluctantes voluntati?

R. Minime; sed ipsius voluntati fuerunt obsequentes ita ut eas assumpserit, quando voluit. Unde legitur *Isaiae* LIII. 7. *oblatus est, quia ipse voluit*; et *Joan*. X. 17. *Ego pono animam*. Quod et clarius manifestavit, cum resuscitavit Lazarum a mortuis; nam Scriptura non ait, quod ea occasione *turbatus est*, sed *turbavit seipsum*. *Joan*. XI. 33. Hinc Augustinus *Tract*. XLIX. *in Joan*. *Quis enim eum posset, nisi seipsum ipse turbaret? Turbaris 'tu nolens*: *turbatus est Christus, quia ipse voluit. Esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit*: *dormivit, verum est, sed quia voluit. In illius potestate erat vel sic affici, vel non affici*. Quid clarius? Unde Hieronymus statuit in *Cap*. XXVI. *Matth*. eas potius appellandas esse *propassiones* ad differentiam earum, quas cæteri homines aliquando in seipsis experiuntur excitari contra imperium voluntatis.

§. III.

§. III.

Neque peccatum, neque peccandi potentia fuerunt in Christo.

Q. Fuitne in Christo peccatum ullum?

℟. Dogma fidei est, nullum in Christo fuisse peccatum. Nam 1. legitur I. *Pet.* II. 21. de Christo: *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*; et *Heb.* IV. 15. dicitur Christus tentatus *per omnia pro similitudine absque peccato*. 2. Concilium Ephesinum definivit *can.* X. *Si quis dixerit, Christum (pro seipso sacrificium obtulisse, et non potius pro nobis (neque enim oblatione indigebat, qui peccatum omnino nescivit) anathema sit*. Ergo nullum fuit in Christo peccatum.

Q. Fuitne saltem in Christo potentia peccandi?

℟. *Scotus* opinatus est, in Christo fuisse potentiam peccandi; sed nos negamus. Nam 1. *Dan.* IX. ubi prænuntiatur Messias, h. e. Christus, appellatur *Sanctus Sanctorum*, et in textu originali *sanctitas sanctitatum*; et *Luc.* I. 35. Christus dicitur *Sanctum*, h. e. ipsa sanctitas. Quæ vocabula, si posito animo rixandi, serio introspiciamus, non solum excludunt a Christo peccatum, sed ipsam potentiam peccandi. Recte igitur dixit *Origenes* lib. II. de *Princip. cap.* 4. *Anima illa* (nempe Christi) *in Deo posita est, ideo nec convertibilis, aut mutabilis*

dici

dici potest, quae inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate indesinenter ignita possedit: Quasi dixisset: quemadmodum ferrum in igne positum non solum redditur ignitum, h. e. frigoris expers, sed nullum etiam habet potentiam refrigerandi; ita anima Christi Verbo hypostatice unita non solum immunis fuit a peccato, sed etiam libera ab ipsa peccandi potentia.

Q. Christus habuit potentiam moriendi, cur non potuit similiter habere potentiam peccandi?

℟. Mors est malum physicum, quod non repugnat fieri a Deo. At peccatum est malum morale, cujus patrandi etiam ipsa potentia Deo repugnat.

Q. Christus erat liber; quo pacto confidenter asseritur, eum non habuisse peccandi potentiam?

℟. Christus non erat liber libertate *contrarietatis*, qua quis potest operari contraria nempe bonum, et malum, ac proinde peccare. Sed liber erat libertate *contradictionis*, qua poterat unum, vel alterum bonum eligere, absque peccato. Neque inde sequitur, Christum fuisse imperfectum eo, quod caruerit libertate *contrarietatis*; nam hæc libertas non est perfectio, sed imperfectio naturæ humanæ, et ideo locum non habet etiam in patria cœlesti, a qua omnis imperfectio excluditur.

§. IV.

§. IV.

Christus triplicem habuit scientiam, nempe beatam, infusam, et acquisitam.

Q. Quam scientiam habuit Christus?

℟. Triplicem habuit, nempe *beatam*, *infusam*, et *acquisitam*. Scientia *beata* dicitur ea, quæ sita est in clara Dei visione. *Infusa* appellatur illa, quæ versatur circa objecta supernaturalia. *Acquisita* nuncupatur, quæ res naturales respicit, quæ scientia nominatur *acquisita*, quia studio, et labore acquiri, sive comparari potest, licet per *accidens* aliquando infundatur, quo modo Adamo eam infusam fuisse demonstravimus in *Tractatu de Creatione*.

Q. Quomodo demonstratur, Christum habuisse scientiam *beatam*, h. e. adhuc in terris existentem clara Dei visione donatum fuisse?

℟. Evidenter colligitur ex Scripturis. Nam 1. *Joan.* III. 13. legitur: *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de Cœlo Filius hominis, qui est in Cœlo*. Quo in loco Christus in terris existens dicitur fuisse in Cœlo, h. e. Deum ea clara visione vidisse, qua beati illum in cœlo vident. *Luc.* XXIII. 43. Christus ait latroni, qui in Cruce pendebat, et se ei commendabat: *hodie mecum eris in Paradiso*, h. e. frueris clara Dei visione, qua ego (Christus) fruor 2. Christus venerat in hunc Mundum ut res di-

divinas hominibus revelaret: Postulabat igitur ratio, ut Deum cognosceret eo pacto, quo necesse est, ut Magister clare intelligat ea, quæ discipulis tradit.

Q. Quo ex tempore Christus frui cœpit clara Dei visione, et quid per eam cognovit?

℟. 1. Christus beata Dei visione frui cœpit a primo conceptionis momento juxta illud *Psal.* LXIV. *Beatus, quem elegisti, et assumpsisti*, quæ verba *Glossa* refert ad humanam Christi naturam, h. c. beatus a die electionis, et assumptionis, nempe a primo conceptionis momento. 2. Dicimus per beatam Dei visionem cognovisse ea omnia, quæ ad essentialem beatitudinem constituendam requiri diximus in *Tractatu de Deo*, ubi sermo fuit de scientia beatorum; et ea insuper, quæ ipsum, ut Doctorem, Judicem, et Caput hominum, et Angelorum, scire necesse fuit.

Q. Christus obnoxius fuit passionibus, et doloribus, ut constat ex Evangelio; quo igitur pacto asseritur, eum fuisse beatum in terris, cum beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus?

℟. Christus fuit beatus, sive *comprehensor*, ut ajunt, in superiori animae parte; non beatus vero, sive *viator* in corpore, et in inferioribus animae potentiis. Et quamvis torrens ille voluptatis, quo superior animæ pars fruebatur, naturaliter in corpus, et in inferiores animæ potentias debuisset derivare, tamen supernaturali virtute cohibitus est, ut

Chri-

Christus patiendo, et moriendo Deo pro peccatis nostris satisfaceret.

Q. Quomodo ostenditur, Christum habuisse scientiam *infusam*, quam diximus sitam esse in cognitione rerum supernaturalium?

℞. Augustinus *lib.* XI. *de Civit. cap.* 7. in Angelis præter scientiam *beatam*, quam appellat cognitionem *matutinam*, agnoscit etiam scientiam *infusam*, quam nominat cognitionem *vespertinam*. Si igitur Angelis ea scientia infusa concessa est; cur deneganda intellectui Christi, qui erat Angelis longe excellentior, et perfectior? Et re quidem vera Christus dicitur *Joan.* I. 14. *plenus veritatis*, et *Coloss.* II. 3. dicuntur in eo esse omnes *thesauri sapientiae*, *et scientiae*. Quæ propositiones universales stare non possent, si scientia *infusa*, qualis descripta est, ipsi defuisset.

Q. Cui usui erat necessaria scientia *infusa* rerum supernaturalium in Christo, cum eas res cognosceret in Deo per scientiam *beatam*?

℞. Necessaria erat 1. ut res supernaturales cognosceret more viatorum; nam, ut diximus, erat simul *comprehensor*, et *viator*. 2. ne ei ulla perfectio, cujus capax erat, et cum lumine gloriæ non repugnabat, deesset.

Q. Quomodo demonstratur in Christo fuisse scientiam *acquisitam*, quæ versatur circa res naturales?

℞. Hanc scientiam, quam appellant *acquisitam*, quia labore comparari potest, Chri-

tum quia illæ necessario junguntur cum gratia sanctificante, ut dicemus in *Tractatu* de *Gratia Christi*; tum quia eas in gradu heroico possedisse constat ex Evangelio. 3. Habuit *dona Spiritus Sancti*; nam de ipso prædixerat *Isaias Cap.* XI. 2. *requiescet super eum Spiritus Domini*; *spiritus sapientiae*, *et intellectus*; *spiritus consilii*, *et fortitudinis*; *spiritus scientiae*, *et pietatis*; *et replebit eum spiritus timoris Domini*; qui fuit timor *reverentialis*, sive *Filialis*. 4 Habuit indesinenter gratias actuales, sine quibus actu non poterat operari bona modo viatoribus convenienter. 5. Habuit *gratias gratis datas*, cujus veritatis plenissima suppeditat Evangelium testimonia, nempe cum refert eum morbos sanasse, mortuos resuscitasse, Dæmones fugasse, secreta cordium introspexisse, futura praenuntiasse etc. Dixi ab initio, *excepta fide*, *et spe*; nam cum ipse in terris existens in superiori animae parte fuisset *comprehensor*, nullum in eo locum habuerunt fides, et spes, quemadmodum neque sunt in beatis, ut diximus in *Tractatu de Deo*.

Q. Fuitne singulare, et proprium Christi habere gratiae plenitudinem?

℟. Fuit singulare, et proprium Christi habere gratiae plenitudinem, si intelligatur, ex ordinaria Dei potentia non posse tribui alteri subjecto gratiam majorem Christi gratia. Unde gratia Christi dicitur *moraliter* infinita. Non fuit vero singulare, et proprium Christi habere gratiae plenitudinem, si intelligatur eo sensu, quod nullum aliud

sub

subjectum fuerit repletum ea gratia, cujus capax erat ipsum subjectum. Nam *Stephanus* dicitur *Act.* VI. 8. *plenus gratia*, et B. M. Virgo salutata fuit ab Angelo *gratia plena* *Luc.* I. 28.

CAP. X.

DE MERITO CHRISTI.

§. I.

CHRISTUS MERUIT PER OPERA SUA EXTERIORA; PRÆSERTIM PER PASSIONEM, ET MORTEM.

Q. CHristus meruitne per opera sua exteriora, et praecipue per passionem, et mortem suam?

℞. Dogma fidei est meruisse. Nam 1. *Philipp.* II. 7. Christus *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem .... propter quod et Deus exaltavit illum*. Ubi humiliatio, obedientia, et mors Christi statuuntur tamquam caussa, sive meritum, ob quod exaltatus fuit. 2. Ecclesia omnes orationes suas per Christum Dominum ad Deum dirigit, ut patet ex omnibus clausulis omnium orationum suarum, ita ut quod orat, obtinere nitatur per merita Christi. Unde Concil. Tridentinum *sess.* VI. *Cap.* 7. definivit Christum esse *caussam meritoriam nostrae justificationis*; et *can.* X. damnat ana-

anathemate contrarium asserentes. 3. In Christo fuerunt omnes conditiones ad meritum requisitæ 1. fuit *Deo gratus*, utpote *plenus gratiae*, Joan. I. 14. 2, fuit *liber* siquidem *Joan.* X. 18. ait : *nemo tollit animam meam a me, sed ego ponam eam a meipso*. 3. præcesserat *Dei promissio*. *Isaiae* LIII. 10. *si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum*. Ergo Christus revera meruit.

Q. Christus non fuit liber in exequendo mortis mandato quod a Patre acceperat, *Joan.* X. 18. *hoc mandatum accepi a Patre meo*; alioquin illud transgrediendo peccatum admisisset, cujus dictum est supra capacem non fuisse; quo pacto igitur meruit?

R. Ut ab hac difficultate se expedirent Theologi, et quidem magni nominis varias vias iniere. At nos in hac *Epitome* potius studentes *sapere ad sobrietatem* dicimus, hæc duo ad fidem pertinere, nempe Christum meruisse, et mereri non potuisse, nisi liber fuisset. Quo pacto vero mandatum mortis, quod acceperat a Patre; et ipsius omnimoda peccandi impotentia; et libertas ad meritum; et meritum ipsum concilientur inter se, nescimus.

§. II.

§. II

CHRISTUS MERUIT PER OPERA INTERIORA, NEMPE PER INTERNOS ACTUS CHARITATIS.

Q. Christus meruitne per internos actus charitatis?

℞. Negavit *Vasquez*. At nos dicimus, Christum per internos actus charitatis meruisse. Nam diximus §. praecedenti, Christum meruisse per actus externos, et praesertim per passionem, et mortem. At omnis actus externus eatenus est meritorius, quatenus imperatur a charitate, quae meritum, ut ita dicamus, in eum actum externum influit. Ergo Christus meruit per actus internos charitatis.

Q. In anima beata non habet locum meritum, quia necessario Deum diligit; unde beati non amplius merentur. Cum ergo anima Christi a primo conceptionis momento fuerit beata, quomodo dicitur meruisse per actus charitatis?

℞. In Christo duplex erat cognitio Dei, alia ex scientia *beata*, alia ex scientia *infusa*, ut dictum est supra; hinc alius actus charitatis profluebat a scientia *beata*, et alius a scientia *infusa*. Unde quamvis primus actus charitatis, nec liber, nec meriti capax fuerit, tamen posterior et liber fuit, et meriti capax.

§. III.

§. III.

Christus meruit a primo conceptionis momento usque ad mortem.

Q. Quo ex tempore, et usque ad quod tempus Christus meruit?

℟. Meruit a primo conceptionis momento usque ad terminum vitae. Nam 1. *Heb.* X. 5. ait: *ingrediens mundum*, h. e. humanam naturam assumens, *ecce venio . . . . ut faciam voluntatem tuam*. Quae verba fuerunt utique meriti plena. 2. Morte meruit, et mereri desiit; siquidem *Heb.* X. 14. *una oblatione consummavit in aeternum sanctificatos*. Notum est *consummare* idem esse, ac finem ponere.

Q. Patres docent vulnus lateri Christi inflictum post mortem fuisse salubre; imo Apostolus *Heb.* VII. 25. ait, quod Christus est in cœlis *vivens ad interpellandum pro nobis*: quare ergo asseritur, eum in morte mereri desiisse?

℟. 1. Vulnus lateri Christi inflictum non fuit caussa meritoria sacramentorum, sed figura quaedam, quae ostendebat sacramenta constituta esse ex passione, et morte Christi 2. Christus est *vivens in Coelis ad interpellandum pro nobis*; non quatenus *interpellando* gratias nobis merctur, sed quia *interpellat*, ut merita sua nobis applicentur, quae vivens in terris, et moriens comparavit.

§. IV.

EXPONUNTUR, QUAE SIBI, QUAEQUE ALIIS CHRISTUS MERUERIT.

Q. Quid sibi Christus meruit?

℟. De fide est, Christum sibi meruisse gloriam corporis, et nominis sui exaltationem. *Luc.* XXIV. 26. *Nonne haec oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam?* Quae verba intelligenda sunt de gloria corporis, quod passum est. Et *Philipp.* II. 6. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen*; en nominis exaltationem. Adstipulantur *Tertullianus*, *Augustinus*, *Bernardus*, aliique. Unde patet, quam insulse contrarium docuerit *Calvinus*, qui existimans, quod amorem Christi erga nos magis extolleret, reprehendit *Scholasticos*, quod affirmaverint, Christum aliquid sibi meruisse.

Q. Quid Christus hominibus meruit?

℟. Meruit vitam aeternam, et cæteras gratias, quae ad eam consequendam sunt necessariae. De vita aeterna scribit Apostolus *Rom.* VI. 23. *Gratia Dei vita aeterna in Christo Jesu*. De cæteris gratiis *Ephes.* I. 3. legitur: *benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*. Unde *Joan.* I. 16. *de plenitudine ejus* (nempe Chri-

Christi) *nos omnes accepimus* . Quæ verba etiam de hominibus , qui adventum Christi præcesserunt, intelligenda sunt , nam præter Christum ait Petrus , *Act.* IV. 12. *non est in alio aliquo salus* .

Q. Quid Angelis Christus meruit ?

℟. Meruit tantum *gratias accidentales* . *Nam* per Christum Dominum *Majestatem Dei laudant Angeli* , *adorant Dominationes* , *tremunt potestates* , ut canitur in *Praefatione* Missæ . Et peccatore pœnitentiam agente , ipsi quoque in Cœlis laetantur. *Luc.* XII. 10. *gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore. pœnitentiam agente* . Aliaque his similia . Dixi , tantum *gratias accidentales* ; nam gratiam sanctificantem , gratias actuales , et ipsam gloriam habuerunt Angeli ex beneficio Creatoris , non vero ex merito Redemptoris .

§. V.

Opera Christi meritum habuerunt infinitum .

Q. Opera Christi habuerunt meritum finitum , an infinitum ?

℟. *Scotistae* docuerunt habuisse meritum finitum ; at nos dicimus meritum habuisse infinitum . Nam notum est illud effatum : *actiones sunt suppositorum* . Cum ergo *suppositum* , sive persona Christi sit Verbum Divinum infinitum , necesse est , ut actio-

 nes ,

requiruntur. Nam 1. Christus obtulit se Patri vadem ad perferendum supplicium pro hominibus *Isaiae* LIII. 7. *oblatus est, quia ipse voluit*; et Pater eam oblationem accepit *Isaiae* ibidem v. 6. *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*: Deinde revera supplicium pertulit I. *Pet.* II. 24. *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus*; et ex eo supplicio, quod pertulit, Dominus placatus est, ipsique reconciliati sunt peccatores, I. *Pet.* II. 24. *Cujus livore sanati sumus*. Non igitur gratis a Deo veniam hominibus obtinuit, sed sanginem suum fundendo. 2. Ut sanguis ille effusus haberetur tamquam verum pretium, quod exhibens Patri liberavit homines a Dæmonis servitute, et potestate, in qua captivi detinebantur, legitur *Galat.* III. 12. *Christus nos redemit* (in textu originali *mercatus est*) *de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum*; et I. *Cor.* VI. 20. *empti enim estis pretio magno*. Igitur homines redempti sunt pretio sanguinis, quemadmodum captivi redimi solent auro, et argento; ita, ut Christus sanguinem dederit, et homines liberaverit facta, *vere*, et *proprie*, dicta permutatione. 3. Apostolus in Epistola ad *Heb.* ut legenti patet, eamdem veritatem tradit, et solidissimo ratiocinio demonstrat; cujus hæc est summa: Christus fuit Sacerdos: Sacerdotis munus est sacrificium offerre pro peccatis vel suis, vel populi: Christus opus non habebat offerre Sacrificium pro seipso, quia erat

 in-

innocens: debuit igitur offerre sacrificium pro peccatis populi: non obtulit victimas legales; nam erant, qui offerebant secundum legem munera; obtulit ergo seipsum in cruce: ex qua oblatione Deo reconciliati sunt peccatores, *in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi Cap.* X. 5. Quid clarius dici poterat? 4. In sacris litteris Christus centies dicitur mortuus *pro nobis*; *pro multis*; *pro omnibus*: appellatur *Salvator*, *Redemptor*, *Mediator*, quæ omnia si *improprie*, et *metaphorice* exponi deberent, quatenus Christus dederit exemplum fortitudinis, et patientiæ; prædicatione, et monitis peccatores ad Deum adduxerit, etiam *Martyres* dici deberent mortui pro hominibus, et *Confessores* fuisse hominum *Salvatores*, *Redemptores*, et *Mediatores*. Quo quid ineptius, et absurdius? 5. Denique ab afferendo Patrum testimonia pro hoc dogmate fidei abstinemus, quia ipsi *Sociniani* non diffitentur, Traditionem sibi adversari, licet eam contemnant. Ergo concludendum est, Christum *vere*, et *proprie* pro hominibus satisfecisse.

Q. Deus *Isaiae* XLVIII. 17. dicitur *Redemptor Israel*; certe per *metaphoram*. Et Moyses *Gal.* III. 17. appellatur inter Deum, et populum *Mediator*, utique *improprie*. Quare ergo dici nequit Christum per *metaphoram*, et *improprie* fuisse hominum *Redemtorem*, et *Mediatorem*?

℟. 1. Diversa est ratio inter Deum, et Christum; nam Deus simpliciter sumtus non est

est capax faciendae redemtionis ; ac proinde dicitur *redemtor* per *metaphoram* , h. e. liberator . At Christus cum esset Verbum divinum cum natura humana assumta , poterat in illa natura assumta pati , mori , et ita redimere genus humanum. 2.Diversa quoque est ratio inter Moysen , et Christum ; nam Moyses non dicitur *Mediator* , quasi semetipsum obtulerit, tamquam pretium pro peccatis populi ; sed Christus appellatur *Mediator* , quia I. *Tim.* II. 5. *dedit semetipsum redemtionem pro omnibus* . Igitur Moyses dicitur *improprie* , et Christus *proprie* , et *vere* Mediator .

Q. In sacris litteris dicuntur peccata *gratis* remitti peccatoribus ; quo igitur modo asseritur , Christum *vere* , et *proprie* pro hominibus satisfecisse ?

℟. Etiam posita vera , et propria Christi satisfactione, recte dicuntur peccata a Deo *gratis* remitti . Nam Deus potuisset exigere pœnas peccatorum ab ipsis hominibus peccantibus ; et tamen misericordia usus eam a Christo Redemtore , et Mediatore exegit , quem et ipse Deus loco hominum , ut talem posuit . Unde cum peccatores homines nihil proprium offerant Deo , ut a peccatis solvantur , sed merita Christi , quem Deus ipse ut Servatorem statuit, dicendum est, peccata *gratis* remitti .

Q. Quando solvitur debitum , sive a proprio debitore , sive ab alia persona solvatur , non dicitur *gratis* remitti . Cum igitur Chri-

uecessarias esse, ut nobis applicentur merita Christi. Nisi dicere velimus satisfactiones nostras esse ipsam Christi satisfactionem cum quo quid unum efficimur per gratiam sanctificantem, sacramenta, aliaqne opera bona; unde cum dicimur Deo satisfacere, ipse Christus est, qui satisfacit. Ideo vero exigitur cooperatio nostra; quia ut reus redeat in gratiam cum persona læsa satis non est, ut alius satisfaciat, nisi et ipse cum Mediatore conjungatur, et beneficium redemtionis referat.

§. II.

Christus satisfecit ex justitia stricta, et rigida.

Q. Qua ex virtute Christus satisfecit?

℟. Nonnulli ajunt, Christum satisfecisse ex misericordia, et bonitate Dei. At nos sentimus cum *Thomistis* Christum satisfecise ex justitia; et quidem stricta, et rigida. Nam *Rom.* III. 25. *Christum proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius; ad ostensionem justitiae suae.* Et Augustinus *lib.* XIII. *de Trinit. non autem*, ait, *Diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit*. Dixi; *et quidem stricta, et rigida*; quia in satisfactione Christi locum habuerunt omnes illae conditiones, quae ad strictam, et rigidam justitiam requiruntur. 1. Satisfactio non solum fuit *aequivalens*, sed etiam *superabundans*. *Rom.* V. 20. *ubi ob-*

abundavit delictum, *superabundavit et gratia*. 2. Fuit *ex propriis*, *et indebitis*; nam Christus, cum esset persona divina, nulli erat subjectus, et plenum habebat rerum suarum dominium, et praecipue immunis erat a mortis debito, quae est pœna peccati, cujus ipse nec reus, nec capax erat. 3. Fuit *ad alterum*; nam cum in Christo una sit persona, quae duas naturas distinctas *terminat*, considerari potest ut *virtualiter* duplex, ita ut Verbum, quatenus *terminat* naturam humanam, satisfecerit sibi ipsi, quatenus *terminat* naturam divinam. 4. Fuit *voluntaria*. *Isaiae* LIII. 7. *oblatus est*, *quia ipse voluit*. 5. Deus *illam satisfactionem non poterat non accipere*, quia ipse Deus eum sponsorem, et Mediatorem ob salutem humani generis miserat in Mundum.

§. III.

§. III.

Christus satisfecit pro omnibus hominibus h. e. pro omnibus mortuus est ; ut vitam æternam consequerentur ; pro electis tamen efficiaci, et speciali ratione .

Q. Satisfactio Christi extenditne se ad omnes omnino homines ?

℟ Maxime ; ita ut Christus sanguinem suum fuderit non solum pro iis , qui salvantur , sed etiam pro iis , qui *actu* pereunt , sive damnantur *Rom.* I. *Cor.* VIII. 11. ait Apostolus : *peribit infirmus in tua scientia , propter quem Christus mortuus est* . Et Augustinus *Enarat. in Psal.* LXVIII. ait de Juda , qui certissime damnatus est : *projecit pretium argenti , quo ab illo Dominus venditus erat , nec agnovit pretium , quo ipse a Domino redemtus erat* . Unde *Innocentius* XI. damnavit hanc *Jansenii* propositionem . *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse , aut sanguinem fudisse* . Igitur contraria est vera, nempe Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus est .

Q. Quo sensu dicitur Christus mortuus esse pro omnibus omnino hominibus ?

℟. Christus dicitur mortuus , et satisfecisse pro omnibus omnino hominibus , non solum quatenus *sufficiens* pretium obtulerit , sed propter voluntatem *antecedentem* sal-

ndi omnes omnino homines. Nam *Joann.* III. 16. *Deus misit Filium suum in Mundum, ut salvetur mundus per ipsum*. Et Apostolus I. *Tim.* II. 1. et *seqq.* Vult *orationes fieri pro omnibus hominibus, quia Deus vult omnes homines salvos fieri*; et rationem subjungit, quia *Christus Jesus dedit redemtionem semetipsum pro omnibus*. Nihil enucleatius. Hinc Patres constanter eamdem veritatem tradiderunt, ut *Origenes*, *Nazianzenus*, *Leo M. Augustinus*, aliique. Denique Ecclesia universa in hymnis salutat Jesum *redemtorem omnium*.

Q. Christus satisfecitne, sive mortuus est aequaliter pro omnibus?

℟. Dicendum est satisfecisse, sive mortuum esse pro electis quadam speciali, et efficaci ratione. Nam *Joan.* X. Christus loquens de praedestinatis, quos ibi appellat *oves suas*; et pollicetur non perituras, sed habituras vitam aeternam, ait: *animam meam pono pro ovibus meis.* Et *Joan* XVII. 1. sic Patrem alloquitur: *non pro Mundo rogo, sed pro iis, quos tradidisti mihi*. Quae Christi verba, et alia his similia non possunt eo sensu intelligi, quod Christus mortuus sit pro solis praedestinatis; nam paulo ante ostendimus, sanguinem fudisse etiam pro iis, qui *actu* pereunt, sive damnantur. Ergo exponenda sunt de speciali, et efficaci ratione, qua mortuus est pro praedestinatis.

Q. Si Christus pro omnibus omnino ho-

mi-

minibus mortuus est, cur non omnes salvantur?

℟. Quia non est mortuus aequaliter pro omnibus. Electi, sive praedestinati, pro quibus efficaci, et speciali ratione satisfecit, quosque vult *consequenti* voluntate salvos fieri, certissime salvi erunt. Ceteri vero, pro quibus *sufficiens* pretium Patri obtulit, et quos vult salvos fieri voluntate *antecedenti*, non salvantur, quia vel adulti sunt, et respuunt beneficium redemtionis, auxiliaque sufficientia, quibus possent esse salvi; vel sunt infantes, qui sine Baptismo moriuntur, et illis etiam ex merito satisfactionis Christi paratum est remedium baptismi, sed Deus non tenetur impedire caussas, quae mortem iis, antequam baptizentur, accelerant, quia *justo*, *sed occulto Dei judicio* non sunt ex electorum numero.

Q. Augustinus *lib.* XXI. *de Civit. cap.* 24. ait, *Ecclesiam non orare pro Diabolo*, *quia jam est damnatus*, *nec oraturam pro quibusdam hominibus*, *si certa esset de eorum damnatione*. Cum igitur Christus, utpote Deus, novisset, quinam essent damnandi, quare pro omnibus mortuus est?

℟. Augustinus loquebatur de oratione *efficaci*, et *absoluta*; ita ut si Ecclesia certo sciret, aliquos esse ad ignem aeternum destinatos, non oraret pro iis *efficaciter*, et *absolute*. Quod non est contrarium iis, quae diximus; nam Christus non oravit, neque mortuus est *efficaci*, et *consequenti* voluntate pro reprobis sed tantum *sufficienter*, et

et voluntate *antecedenti*, ita ut quantum ex satisfactione Christi est, et auxiliis paratis salvi esse possent, adulti, si vellent, et infantes sine baptismo morientes, si caussae naturales non tollerent eos.

C A P. XII.

De Incarnationis caussa meritoria, et finali; deque ipsius convenientia, necessitate, et duratione.

§. I.

Expenditur, utrum aliqua extitit caussa meritoria Incarnationis.

Q. Extititne aliqua caussa meritoria Incarnationis?

℟. Nullus mortalium potuit mereri Incarnationem quoad substantiam, sed tantum quoad quasdam circumstantias; et quidem de *congruo*. Nam Incarnatio est principium omnis meriti; nemo enim mereri potest absque gratia Christi, *de cujus plenitudine omnes accepimus*. Igitur si gratia est effectus Incarnationis, multo magis meritum. Ac proinde ne dicatur esse effectus, nempe meritum, prior caussa, scilicet Incarnatione, dicendum, nullum mortalium Incarnationem mereri potuisse, quoad substantiam. Dixi 1. *sed tantum quoad quasdam circumstantias*; nam

nam Scripturae nobis exhibent *Abrahamum* sua obedientia meruisse, ut Messias ex genere suo nasceretur, *Danielem* suis precibus impetrasse, ut tempus adventus Messiae *abbreviaretur*, et Ecclesia canit B. Virginem meritam esse *dignum Filii Dei habitaculum effici*. Dixi 2. *et quidem de congruo*, ut excluderetur meritum de *condigno* ad quod requiritur praecedens Dei promissio; at nulla a Deo facta fuerat promissio *Abraham*, *Danieli*, *B. Virgini*, ut talia opera perpatrantes praedictas circumstantias Incarnationis mererentur.

§ II.

Exponitur quænam fuerit caussa finalis Incarnationis.

Q. Quinam fuit finis, seu motivum, ex quo Verbum assumsit naturam humanam?

℟. Gravis de hac fuit quæstio inter *Scotistas*, et *Thomistas*. Illi contendebant Verbum carnem humanam assumturum, etiamsi homo non peccasset, ut scilicet factum homo-Deus, in carne quidem impassibili, esset Doctor, et Caput hominum, et Angelorum. E contrario *Thomistae* dicebant, Verbum nunquam carnem humanam assumturum, si homo non peccasset, ita ut caussa Incarnationis fuerit redemptio generis humani. *Thomistarum* sententia nobis magis arridet. Nam Scripturae ubique praedicant, Filium Dei incarnatum fuisse, *ut salvum fa-*

faceret, *quod perierat*. *Luc.* XIX. 10. *ut Mundus salvetur per ipsum*. *Joan.* III. 17. *ut peccatores salvos faceret*. I. *Tim.* I. 15. Quae loquendi rationes apertissime demonstrant finem, ob quem Verbum incarnatum est, fuisse humani generis redemtionem. Unde universalis Ecclesia in *Symbolo Nicaeno* profitetur: *Qui propter nos homines*, *et propter nostram salutem descendit de cœlis*. Et idem constat ex unanimi Patrum consensu.

Q. Verumne est, quod docuit *Origenes*, nempe Verbum incarnatum esse ad dæmones redimendos?

℟. Apertissime erravit; tum quia in *Tractatu* de *Creatione* evidenter ostendimus ex Scripturis, Traditione, et Ratione Theologica, pœnas dæmonum æternas fore; tum quia si id verum esset, utique Scripturæ non tacuissent, quemadmodum sæpissime commemorarunt, finem Incarnationis fuisse humani generis redemtionem.

Q. Cum Scriptura, et Patres alios, præter redemtionem, commemorent fines Incarnationis; quare dicendum est, solam redemtionem fuisse Incarnationis caussam *finalem*?

℟. Omnes illi alii fines, qui commemorantur a Scriptura, et Patribus, exstimandi sunt, veluti appendices illius finis *primarii*, qui fuit redemtio generis humani, ita ut hæc fuerit finis *primarius*, illi fines *secundarii*; non enim Christus redemisset *adaequate* homines, nisi illorum factus esset *lux*,

dux

dux, *caput*, *doctor*, etc.

§. III.

Explicatur, utrum Incarnatio fuerit conveniens Deo, homini, et tempori, quo peracta est.

Q. Incarnatio fuitne Deo conveniens?

℟. Negant *Sociniani*, aliique hæretici, qui impugnant Incarnationis veritatem. At nos dicimus, eam fuisse Deo maxime convenientem. Siquidem in Incarnatione attributa Dei miro modo eluxerunt, nempe *Bonitas*, *Justitia*, *Sapientia*, et *Omnipotentia*. *Bonitas*; quia hæc est natura boni, ut se diffundat, et communicet: *Justitia*; quoniam rigidam, et strictam satisfactionem Christus Patri obtulit: *Sapientia*, quæ adinvenit aptisssimam rationem liberandis hominibus: *Omnipotentia*, qua duo extrema inter se infinito distantia intervallo, scilicet Verbum divinum, et natura humana arctissimo vinculo, et *hypostatica* unione sunt colligata.

Q. Incarnatio fuitne homini conveniens?

℟. Si vox *homo* adhibeatur, licet abusive, ad significandam naturam, quam Verbum divinum assumsit, patet Incarnationem ei maxime convenientem fuisse, elevari scilicet ad eam celsitudinis gradum, ut Deus factus sit homo. Si vero vox *homo* usurpetur ad indicandum totum genus humanum similiter constat, Incarnationem ipsi summopere convenisse; tum quia quilibet homo po-

potest de Christo dicere: *Frater, et caro nostra est*; tum quia per Verbi divini incarnationem genus humanum liberatum est ab eo, in quod demersum erat, malorum pelago.

Q. Incarnatio fuitne conveniens tempori, in quo peracta est?

℞. Conveniens fuit 1. quia quidquid Deus agit, nonnisi conveniens esse potest. 2. quia potius inconveniens erat, Verbum incarnari statim post primi hominis peccatum, propter ipsius Verbi incarnati dignitatem; decebat enim ut prædiceretur a Prophetis, postularetur a Patriarchis, expectaretur ab omnibus, et veniret denique in *plenitudine temporis*. Unde Augustinus *Tractatu* III. *in Joan.* ait: *quanto maior judex veniebat, tanto longior praeconum series praecedere debebat*.

§. IV.

DECLARATUR UTRUM INCARNATIO VERBI DIVINI FUERIT NECESSARIA.

Q. Fuitne necessaria Verbi divini Incarnatio?

℞. Facta *hypothesi*, quod Deus statuerit homines redimere per *condignam* satisfactionem, Incarnatio Verbi erat utique necessaria; neque ulla creatura quantumvis sancta poterat *condigne* satisfacere. Nam ad restituendum Deo honorem, quem per infinitam injuriam ipsi irrogatam homines læserant, nulla pura creatura quantavis gratia ornata satis erat,

sed

sed necesarius erat homo-Deus h. e. Verbum divinum incarnatum . Unde Augustinus *Enchir. cap.* 108. absolute pronuntiat : *Neque per ipsum liberaremur Mediatorem Dei , et hominum Jesum Christum,nisi esset et Deus .* Et re quidem vera 1. *condigna* satisfactio debet esse *aequivalens* injuriæ ; at Deus offensus erat infinitus , et pura creatura est finita . 2. satisfactio *condigna* debet esse *ex propriis* , *et indebitis* ; at quid habet creatura , quod suum sit , nec Deo debeat ? Igitur nulla pura creatura quantavis gratia ornata poterat Deo *condigne* satisfacere . Dixi, *in hypothesi quod Deus statuerit homines redimere per condignam satisfactionem* ; nam Deus poterat peccatum sine condigna satisfactione condonare, juxta illud Bernardi *Epist.* CXC. *ad*, *Innoc. cap.* 8. *Quis neget, Omnipotenti ad manus fuisse alios modos nostrae redemtionis ?*

Q. Malitia peccati non est infinita , quare pro peccato non poterat *condigne* satisfacere pura creatura ?

℟. Si peccatum consideretur ut privatio *rectitudinis* , certe ipsius malitia non est infinita , sed tanta existimanda , quanta est rectitudo , qua peccatum hominem privat ; sed si consideretur, prout est offensa Dei infiniti , ejus malitia dicenda est infinita *moraliter* , *extrinsecus* , et *ex objecto* , ut inquiunt Theologi , cui reparandæ ex *condigna* satisfactione impar erat pura creatura .

§. IV.

§. V.

UTRUM SEMPER DURAVERIT, ET DURATURA SIT VERBI DIVINI INCARNATIO.

Q. Post incarnationem natura humana fuitne, eritque semper Verbo divino *hypostatice* conjuncta?

℞. Dogma fidei est post incarnationem unionem *hypostaticam* semper durasse, et esse duraturam. *Heb.* XIIJ. 8. *Dicitur Christus heri, et hodie, ipse et in saecula.* Et *Luc.* I. 30. *Regni ejus non erit finis*; quod et in *Symbolo* profitetur Ecclesia. Unde Concilium Chalcedonense definivit *Act.* V. *naturam divinam, et humanam Christi in unam personam concurrisse indivisibiliter, et inseparabiliter.*

Q. Verbum divinum permansit conjunctum tum animae, tum corpori Christi in triduo mortis?

℞. Quamvis anima a corpore in eo triduo fuerit separata, ac proinde Christus mortuus; tamen dogma fidei est, Verbum tum animæ, tum corpori permansisse conjunctum; quod non solum sequitur ex iis, quae dicta sunt in superiori responsione, sed etiam patet, tam ex illo vulgatissimo *Damasceni* effato: *quod Deus assumsit, numquam dimisit*; quam ex *Leone* M. qui *Serm.* XVII. *de Pass. cap.* 1. ait: *duas Christi naturas in tantam unitatem convenisse, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte sejungi.* Igitur natura divina,

vina, ac proinde Verbum non deseruit neque animam, neque corpus in mortis triduo.

Q. Verbum divinum permansitne conjunctum sanguini in passione effuso?

℟. Gravissima olim exarsit hac de re controversia inter *Dominicanos*, *et Franciscanos*. Illi affirmabant, isti negabant. *Pius* II. noluit eam quaestionem pacis studio definire sed unicuique silentium indixit. Nos dicimus, non haereticam, sed erroneam esse sententiam, quae docet Verbum fuisse sejunctum a sanguine in passione effuso; non *haereticam*, quia nulla extat de ea re definitio; sed *erroneam*, tum quia aperte pugnat cum recitato *Demasceni* effato; tum etiam quia opponitur sententiae, quae affirmat Verbum sanguini in passione effuso fuisse conjunctum, in Scholis Catholicorum communi.

Q. Quid sentiendum de aliquibus sanguinis Christi guttis, quae alicubi servari dicuntur?

℟. Si eæ verae sint sanguinis Christi guttae, de quibus non temere dubitari potest, dicimus neque contra fidem, neque erroneum esse, si sentiatur Verbum divinum eas deseruisse, cum praesertim de aliqua sanguinis Christi gutta in circumcisione effusa id declaraverit *Pius* II. eamque sententiam tenuerit *S. Thomas*.

C A P. XIII.

De incarnationis divinae possibilitate, et ad salutem necessaria notitia.

§. I.

Incarnatio Verbi divini possibilis dicenda est.

Q. Estne possibilis Incarnatio divina?

℞. Omnino possibilis dicenda est. Nam 1. notum est illud effatum in *Ontologia*: *ab actu ad posse est necessaria illatio*; h. e. quod jam existit, possibile dicendum est. Atqui *Cap.* II. demonstravimus Incarnationem divinam jam fuisse peractam. Ergo omnino possibilis dicenda est. 2. Illud possibile est, quod nullam contradictionem involvit. Atqui si probe teneantur, quaecumque de oeconomia Incarnationis divinae disseruimus, patet eam nullam contradictionem involvere. Ergo possibilis dicenda est.

Q. Potestne *positive* demonstrari Mysterium Incarnationis divinae?

℞. Minime. Nam demonstratio *positiva* dicitur ea, quae ex evidenti cognitione rerum, quae rem demonstrandam *intrinsecus* constituunt, descendit. Atqui ea, quae *intrinsecus* constituunt divinam Incarnationem cognosci non possunt evidenti cognitione. Ergo Mysterium Incarnationis non potest *positive*

tive

tive demonstrari . Unde Apostolus *Coloss.* I. 26. appellat Mysterium illud *absconditum a saeculis , et generationibus* . Et Concilium Toletanum XI. *Cap.* I. ait : *partus Virginis , nec ratione colligitur , nec exemplo monstratur , quia si ratione colligeretur non esset admirabilis , si exemplo , non esset singularis* .

Q. Potestne saltem *negative* demonstari Mysterium Incarnationis divinae ?

℞. Potest *negative* demonstrari, posita revelatione . Nam omnia argumenta , quae in contrarium opponuntur , dissolvuntur a Theologis ; quod est rem aliquam *negative* demonstrare . Dixi : *posita revelatione* ; nam Sociniani aliquando cavillationes suas adversus hoc Mysterium iis tricis involvunt,ut videantur habere speciem veri , neque mens suspicaretur in illis fallaciam latere , seclusa revelatione . Ad exsufflandas vero eorum objectiones satis est adjuncta revelatione. probe callere , quae ex Scripturis,ex,Traditione,et ex definitionibus Ecclesiae ad oeconomiam hujusce Mysterii declarandam depromsimus .

§.II.

§. II.

NOTITIÆ MYSTERII INCARNATIONIS DIVINAE AD SALUTEM NECESSITAS.

Q. Estne necessaria ad salutem notitia Mysterii Incarnationis divinae?

℟. Utique necessaria est, et quidem *explicita*, et necessaria *necessitate medii*; licet non eodem modo ante, et post Christi adventum. Primum patet ex eo, quod *Act.* IV. 12. legitur: *non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Et Augustinus *lib.* de *corrept.* et *grat. cap.* 7. *Nemo*, ait, *liberatur à damnatione, nisi per fidem Jesu Christi.* Innocentius XI. eam propositionem damnavit: *nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris*. Alterum constat tum ex proxime recitata propositione damnata, cujus contraria vera est, nempe necessariam esse notitiam *explicitam* remuneratoris; tum ex verbis Scripturae, et Augustini, quae statuunt notitiam Incarnationis tamquam *medium*, sine quo absolute loquendo nulla patet ad salutem via, ac proinde ea necessaria est *necessitate medii*. Tertium nempe non eodem modo dicendum esse necessariam ad salutem *explicitam notitiam* Incarnationis, ante, et post Christi adventum, liquet ex Apostolo *Galat.* II. 23 *priusquam*, inquit, *veniret fides sub lege custodiebamur*

con-

conclusi in eam fidem, quae revelanda erat. Quae verba indicant, ante adventum Christi necessariam fuisse *necessitate medii* ad salutem notitiam Incarnationis, sed non adeo *explicitam*.

Q. Notitia Incarnationis divinae estne omnibus omnino hominibus necessaria?

℟. Necessaria est tantum hominibus adultis nondum justificatis, et ratione utentibus. Nam parvuli baptizati, in infantia decedentes, vel ad aetatem adultam pervenientes, et gratiam baptismi conservantes, vel perpetuo amentes, sine notitia Incarnationis, vitam aeternam consequuntur; quia, cum per gratiam, quam in baptismo receperunt, facti sint *Dei filii*, et *heredes*, ea hereditate, nempe vita aeterna, sine peccato privari non possunt.

Q. Quid fiet de tot millibus hominum, qui Mysterium Incarnationis divinæ ignorant? Peribuntne omnes?

℟. 1. Non est adeo ingens hominum numerus, qui hujusmodi Mysterium ignorant, cum Ecclesia Christi ubique diffusa innumeros complectatur fideles, qui hoc Mysterium, quod est fundamentum fidei Christianæ, primum omnium edocti sunt. 2. Si qui sunt, qui illud ignorant, utique non peribunt propter illius Mysterii ignorantiam, si *invincibilis* sit, sed vel *vitio originis*, *vel propriae additamento voluntatis*, ut ait Augustinus, nempe vel propter peccatum originale, vel actuale.

Q. Estne notitia hujusmodi Mysterii necessaria necessitate *praecepti*?

℟. Necessaria est etiam necessitate *praecepti*; nam cum sit necessarium medium, ut dictum est, ad salutem, non poterat non præcipi.

CAP. XIV.

De Variis titulis, et officiis Christi.

§. I.

Christus est Sacerdos.

Q. CHristus estne vere, et proprie *Sacerdos* novi Testamenti?

℟. Dogma fidei est, Christum esse vere, et proprie *Sacerdotem* novi testamenti. Nam 1. Apostolus *Epist. ad Heb.* sæpe Christum appellat *Pontificem* h. e. *Sacerdotem* *Cap.* III. 1 *considerate Pontificem confessionis nostrae Jesum*; et *Cap.* IV. 14. *Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cœlos*; et alibi pluries. 2. Augustinus in *Psalm.* CXXXII. edisserens de Christo ait: *quis est Sacerdos, nisi unus Sacerdos, qui intravit in Sancta Sanctorum?* Et Epiphanius *Haeresi* LV. *Ipse victima, ipse Sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare . . . . ipse Pontifex, ipse agnus.* 3. Denique Christus omnibus muneribus, quæ sunt Sacerdotis vere, et proprie dicti, functus est. Nam 1. Explicavit legem Dei, ut

patet

patet ex *Evangelio*. 2. Vota nostra Deo offert in Cœlis *semper vivens ad interpellandum pro nobis*, ut ait Apostolus. 3. Sacrificium pro nobis obtulit in cruce, ut demonstratum est, ubi sermo fuit de satisfactione Christi. Ergo est *Sacerdos* vere, et proprie dictus novi Testamenti.

Q. Quare Christus dicitur Sacerdos *secundum ordinem Melchisedech*?

℟. Quia in *Melchisedech* Sacerdotium Christi fuit adumbratum. Nam sicut *Melchisedech* describitur in sacris litteris sine genealogia, h. e. Pater, et Mater ejus silentur; nulli successit, nec successores habuit; et obtulit sacrificium in pane, et vino: ita Christus non habuit Matrem in divinis, neque Patrem in humanis; aliis non successit in Sacerdotio; nec successores habuit; et denique obtulit semetipsum in Eucharistia sub specie panis, et vini.

Q. Si Christus nullos habuit in Sacerdotio successores, quare in Ecclesia Catholica innumeri creantur Sacerdotes?

℟. Sacerdotes novæ legis non sunt Christi successores, sed ministri, per quos Christus primarius, et summus *Sacerdos* offert seipsum Patri in sacrificio altaris; ipse enim eo, *quod maneat in aeternum*, *sempiternum habet Sacerdotium*, ut ait Apostolus *Heb.* VII. 23.

Q. Quomodo dicitur Christus *sempiternum* habere *Sacerdotium*, cum unicum fuerit ejus sacrificium, et jamdiu consummatum, nempe Sacrificium crucis?

℟. Quamvis sacrificium crucis unicum fuerit, et jamdiu consummatum; tamen perpetuum est, cum Christus illud perpetuo offerat Patri in Cœlo per seipsum, et in terris per Sacerdotes novæ legis. Unde merito dicitur Christus *sempiternum* habere *Sacerdotium*.

Q. Secundum quam naturam Christus est *Sacerdos*?

℟. Novatores docuerunt, Christum esse *Sacerdotem* secundum naturam divinam. Quod quam absurdum sit, nemo non videt; siquidem *Sacerdotis* est orare, at natura divina non orat, sed orationes excipit. Igitur dicendum est, Christum esse *Sacerdotem* secundum naturam humanam, sed subsistentem in persona Verbi, a quo Sacrificium infinitam habet virtutem.

§. II.

Christus est Caput hominum, et Angelorum.

Q. Christus estne caput hominum, et Angelorum?

℟. Utique *caput* est, tum hominum, tum Angelorum. De hominibus colligitur ex Apostolo *Ephes.* V. 23. ubi ait: *Christus caput est Ecclesiae*, h. e. hominum, ex quibus Ecclesia constat. De Angelis vero habetur ex eodem Apostolo *Coloss.* II. 10. *Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, et potestatis*. Et re quidem vera

ra Christus habet ea omnia, quæ ad rationem *Capitis* requiruntur. Nam 1. Eminet super omnes sive homines, sive Angelos; siquidem Deus, ut ait Apostolus *Ephes.* I. 20: *omnia subjecit sub pedibus ejus*. 2. Arctissime conjunctus est tam cum hominibus *viatoribus*, qui ad Ecclesiam militantem, quam cum hominibus *comprehensoribus*, et Angelis, qui ad Ecclesiam triumphantem pertinent; ita ut ex Apostolo I. *Cor.* XII 12. quemadmodum in corpore humano *cum sint multa membra unum corpus sunt, ita et Christus*. 3. Diffundit Spiritum suum sanctum in omnes, tum homines, tum Angelos. Nam *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, ex Joanne; *secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri*, ex Apostolo.

Q. Dictum est supra Christum non meruisse Angelis neque gloriam, neque gratiam; quo igitur pacto asseritur Christum in eos, ut *Caput*, influere?

℟. Diximus ibi, Christum non meruisse quidem Angelis gratiam, et gloriam essentialem: meruisse vero gratias accidentales. Has igitur gratias Christus in Angelos influit.

Q. Christus estne *Caput* omnium omnino tum hominum, tum Angelorum?

℟. 1. Christus est *Caput* omnium eorum hominum, in quos influit aliquam gratiam suam; si enim aliqui omni gratia privarentur, Christus utique illorum non foret caput *actu*, sed tantum in *potentia*, quatenus, adhuc in statu *viae* positi, possent

adjuvante Deo, ad fidem converti. Excepti damnatis hominibus, quorum Christus, nec in *actu*, nec in *potentia* Caput est, cum ad eum terminum pervenerint, h. e. ad infernum, in quo *nulla est redemptio*. 2. Est caput Angelorum beatorum, non vero Dæmonum ob eandem rationem, qua non est damnatorum *caput*; cum nihil amplius gratiæ suæ in eos influat.

§. III.

CHRISTUS EST REX.

Q. Quomodo demonstratur Christum esse Regem?

℞. Colligitur evidenter ex sacris litteris. *Psal.* II. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion, montem Sanctum ejus*. Et *Jeremiae XX*III. 5. *Regnabit Rex, et sapiens erit*. Et *Luc.* I. 32. *Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum*.

Q. Secundum quam naturam Christus est Rex?

℞. Nulli dubium esse potest, Christum esse *Regem* secundum naturam divinam, cum juxta eam sit cum Patre, et Spiritu S. Dominus omnium. Sed in recitatis locis Christus dicitur *Rex* secundum naturam humanam; nam legitur *constitutus*, *dabit*; quae supponunt regiam potestatem ipsi non naturaliter, sive essentialiter competere, sed in tempore, et per donum; quod utique cadit

in

in ejus humanam naturam .

Q. Christus quo sensu dicitur *constitutus Rex ?*

℟. 1. Certum est Christum fuisse constitutum Regem *spiritualem* , h. e. in animos hominum ; unde dicitur in Scripturis *Rex Israel Salvator* ; et hac regia potestate donatus est *a mari usque ad mare* , *et a flumine usque ad terminos orbis terrarum* . *Psal.* LXXI. 2. Quaestio est inter Theologos , utrum Christus constitutus fuerit Rex *temporalis* . Nonnulli distinguentes *jus* ab *usu* , opinantur, Christum *jure* fuisse Regem temporalem , sed *usum* Regiæ dignitatis , et potestatis non habuisse , utpote fini Incarnationis contrarium . Alii et *jus* , et *usum* Christo abjudicant , asserentes , ipsum fuisse constitutum tantum Regem *spiritualem* , licet, cum ejus persona sit Verbum divinum , nec dominis temporalibus fuerit subjectus , nec tributa solverit, nisi ad vitandum scandalum *Math.* XVII 26.

Q. Quibus in rebus situm erat Regnum *spirituale* Christi ?

℟. Situm erat in omni re, quae ad salutem hominum pertinebat ex. gr. in constitutione Sacramentorum , electione Ministrorum Ecclesiae etc.

§. IV.

CHRISTUS EST LEGISLATOR ?

Q. Christus estne legislator ?

℟. De fide est, Christum esse legislatorem, cum ita definitum sit in Concilio Tridentino contra Novatores *sess.* VI. *can.* 21. *Si quis dixerit Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse, ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, anathema sit*. Et re quidem vera 1. Christus *Isaiae* XXXIII. 22. praedicitur : *Dominus legifer noster*. 2. Si Evangelium percurramus, ubique prostant testimonia, ex quibus elucet Christum *actu* præcepta hominibus dedisse ex. gr. *Joan.* XIV. 15. *si diligitis me*, ait, *mandata mea servate*, et alibi centies; quod utique Christus non fecisset, si potestatem faciendi non habuisset. 3. Christus Rex erat, ut §. III. demonstravimus ; at a Regia potestate indivulsa est potestas legum ferendarum.

Q. Si Christus habuisset potestatem ferendi leges, quo pacto novum testamentum dicitur status *libertatis*, *qua libertate Christus nos liberavit Galat.* IV. 31.?

℟. Novum testamentum dicitur status *libertatis*, non eo sensu, quod nullus sit in novo testamento legislator, nullæque leges ; sed 1. quia in novo testamento abolitæ sunt tot leges *caeremoniales*, et *judiciales*, quae impositæ erant velut jugum importabile Judaeis

daeis in veteri Testamento ; adveniente enim veritate nempe Christo , figuræ , h. e. antiquæ, leges debuerant aboleri . 2. quia jugum legum a Christo Christianis impositum adeo fit suave per charitatem , ut quasi nulla sit lex; unde ait Apostolus I. *Tim. I.* 9. *Lex justo non est posita*; quemadmodom dicere solemus, hominem fortem , et robustum aliqua sarcina gravatum nullum ferre pondus .

§. V.

Christus est judex omnium hominum , et Angelorum .

Q. Christus estne judex omnium hominum, et Angelorum ?

℟. Utique judex est tam omnium hominum , quam Angelorum . De hominibus patet ex testimonio *Act.* X. 42. *Ipse est* , *qui constitutus est a Deo Judex vivorum* , *et mortuorum* . De Angelis malis res est manifesta ; quia si Sancti eos judicabunt, juxta illud Apostoli I. *Cor.* VI. 3. *Nescitis* , *quoniam Angelos judicabimus* ; multo magis Christus erit illorum Judex . De Angelis bonis patet ex consequenti ; nam si Angeli mali judicabuntur a Christo , Angeli boni publicam laudem de sua perseverantia , et ministerio referent ab ipso Christo .

Q. Quid significat, Christum futurum judicem *vivorum* , et *mortuorum* ?

℟. Nonnulli Theologi arbitrati sunt nomine *vivorum* intelligi eos , qui in die judi-

cii vivi reperientur, eosque saltem justos, non morituros, et Christo judici advenienti occursuros, eoque sensu Christum dici judicem *vivorum*, et *mortuorum*. Sed hæc sententia nobis non arridet; tum quia judicii diem magna praecedet ruina orbis, et conflagratio, quo igitur pacto, adveniente Christo judice, homines reperientur vivi? tum quia *Heb.* VIII. 27. *statutum est hominibus semel mori*; nullus ergo hominum effugiet mortem. Igitur dicimus cum ceteris Theologis 1. nomine *mortuorum* significari eos, qui a mundi exordio, et multo ante judicii diem mortui sunt; nomine vero *vivorum* eos, qui in extremis diebus vivi reperientur, qui etiem morientur, statim cum aliis resurrecturi. 2. nomine *vivorum* posse intelligi justos, et per *mortuos* significari peccatores.

§. IV.

§. VI.

Christus est mediator Dei , et hominum .

Q. Christus estne mediator Dei , et hominum ?

℟. Dogma fidei est, Christum esse mediatorem Dei, et hominum . Ait enim Apostolus I. *Tim.* II. 5. *Unus Deus, unus et Mediator Dei , et hominum , homo Christus Jesus* . Et revera Christo non defuerunt , quae erant necessaria ad eum constitnendum Mediatorem , tum quoad substantiam , tum quoad officium ; siquidem 1. participavit de substantia utriusque dissidentis , erat enim Deus , et homo . 2. Dei voluntatem hominibus denuntiavit in Evangelio . 3. hominum preces Deo offert , quos sua satisfactione Deo reconciliavit. Hinc Irenæus *lib.* III. *cap.* 20. *Oportuerat* , inquit , *Mediatorem Dei , et hominum per suam ad utrosque domesticitatem, in amicitiam, et concordiam utrosque adducere* .

Q. Secundum quam naturam Christus est Mediator ?

℟. 1. Non est Mediator secundum humanam *solam* naturam , quia cum *sola* humana natura non participet divinitatem , non esset mediator quoad substantiam , et cum per *solam* humanam naturam non potuisset condigne satisfacere , non esset mediator , quoad officium. 2. Non est mediator secundum divinam *solam* naturam ; quia cum *sola* di-

vina natura non participet humanitatem, non esset mediator, quoad substantiam; et cum *sola* natura divina non potuisset Deo subjici, hominesque Deo reconciliare, non esset mediator, quoad officium. 3. Non est mediator secundum utramque naturam divinam, et humanam simul, quia officia mediatoris, nempe obedientia, sacrificium, preces non possunt cadere in naturam divinam. 4. Igitur Christus est mediator secundum naturam humanam subsistentem in persona Verbi I. *Tim.* II. 5. *Unus mediator Dei, et hominum, homo Christus Iesus*.

FINIS.

AP.

APPENDIX

DE CULTU, ET INVOCATIONE SANCTORUM.

CAP. I.

DE CULTUS DEFINITIONE, ET DIVISIONE; DE HAERETICORUM ERRORIBUS, ET ECCLESIÆ DOCTRINA CIRCA SANCTORUM CULTUM.

§. I.

CULTUS DEFINITIO, ATQUE DIVISIO.

Q. Quid est cultus?

℟. Est actus vel mentis, vel corporis, vel utriusque simul, quo exhibetur honor alicui ob excellentiam, quæ in ipso deprehenditur.

Q. Quotuplex est cultus?

℟. 1. Dividitur in *naturalem*, et *supernaturalem*. Naturalis est ille cultus, qui exercetur ob excellentiam naturalem, quae inest subjecto, quod colitur, qualis est cultus erga Principem. Supernaturalis oritur ab excellentia supernaturali, h. e. a sanctitate subjecti, erga quod cultus ille exercetur, qualis est cultus Sanctorum, B. M. Virginis, et Dei. 2. Cultus supernaturalis dividitur a Theologis in cultum *latriae*, *hy-*

hyperduliae, et *duliae*. Primus debetur uni, et soli Deo, tamquam primo principio, et ultimo fini rerum omnium. Alter debetur B. M. Virgini, tamquam cultus superior omni alio cultu, qui sanctis impenditur; id enim sonat vox *hyperdulia*. Tertius est cultus sanctis exhiberi solitus. 3. Cultus dividitur, in *internum*, et *externum*. Cultus internus consistit in actibus intellectus, et voluntatis; quibus cognoscitur in aliquo excellentia ipsius propria per intellectum, et respondens cultus ei exhibetur per voluntatem. Cultus externus situs est in actibus corporis, ut sunt genuflexio, capitis inclinatio, luminum accensio. etc. Advertendum, quod cum signa externa significationem habeant ab arbitrio hominum, factum est, ut præter sacrificium, quod est signum unius *latriae*, alia signa promiscue usurpentur ad hanc, vel illam cultus speciem significandam, nec nisi ex intentione colentium, et ex consuetudine locorum coarctentur ad *latriam*, *hyperduliam*, *duliam*, vel ad cultum naturalem, qui etiam civilis dicitur, significandum. 4. Dividitur cultus in *absolutum*, et *relativum*. Absolutus dicitur ille, qui sistit in objecto, quod colitur; relativus vero appellatur ille, qui exercetur erga rem aliquam non propter seipsam, sed propter personam, ad quam pertinet. Prior ex. gr. est cultus alicujus sancti; posterior est cultus vestis, quæ ad sanctum pertinebat.

§. II.

§. II.

Circa Sanctorum cultum haereticorum errores, et Ecclesiae doctrina.

Q. Quinam sunt haereticorum errores circa Sanctorum cultum?

℞. 1. Augustinus *lib.* IV. cont. *Faustum* testis est, Manichæos tertio sæculo respuisse omnem cultum Sanctorum, imaginum, et reliquiarum ipsorum, dicentes, id esse idololatriæ crimen. 2. Hieronymus *lib. cont. Vigilantium*, testatur *Eunomium* in Oriente et *Vigilantium* in Occidente damnasse cultum reliquiarum, ut superstitiosum, et Catholicos appellasse *Cinerarios*, et *Idololatras* 3. Sœculo VIII. *Leo Isauricus* Imperator, deinde ejus Filius *Constantinus Copronymus* incredibili furore debaccati sunt contra cultum imaginum; et coacto Constantinopoli plusquam trecentorum Episcoporum Conciliabulo sancitum est, imagines Sanctorum esse auferendas, confrigendas, et delendas, et errasse Ecclesiam, quæ usque ad ea tempora cultum Sanctorum imaginibus exhibuerat. Ejusmodi hæretici Græco nomine dicti sunt *Iconomachi*, et *Iconoclastae*, h. e. imaginum hostes, et imaginum fractores. 4. Denique *Novatores* antiquorum hæreticorum errores XVI. sæculo revocarunt; nisi quod Calviniani imagines ad memoriam domi solum retinent: Lutherani tam domi, quam

in

in Ecclesia; sed nullo cultu eas honorant.

Q. Quænam est Ecclesiæ doctrina circa sanctorum, et imaginum cultum?

℟. 1. Pium, et utile est, colere sanctos cum Christo regnantes, non cultu *latriae*, qui solius Dei est; sed cultu *hyperduliae* B. M. Virginem, cultu *duliae* reliquos sanctos. 2. Crux Christi, vel cui affixus est, velquæ illi us similitudinem refert, adoranda est, non cultu absoluto, quatenus aliquid divini contineat, sed quia ad *prototypum* refertur. 3. Non est illicitum sanctorum imagines formare, et illas colere. 4. Non est illicitum sanctorum reliquias venerari.

CAP.

C A P. II.

De Cultu Sanctorum, Reliquiarum, imaginum, et Crucis Christi.

§. I.

Cultus Sanctorum.

Q. Licetne Sanctos colere?

℟. Dogma fidei est, licitum esse, et pium Sanctos colere. Nam 1. in Scripturis legimus homines justos ut *Abraham*, *Loth*, *Joannem* Evangelistam Angelos adorasse, qui sancti sunt; quod utique non fecissent, si esset illicitum, et impium. 2. Ecclesia a primis sœculis morem habuit sanctos colendi; hinc in eorum honorem dies festos instituit, loca sacra ædificavit, quæ *Oratoria*, *Martyria*, *Basilicae*, et *Ecclesiae* dicebantur; ut patet ex historia Ecclesiastica. 3. In sanctis maxime sedet excellentia supernaturalis, h. e. gratiarum cumulus, quibus Deus illos adauxit; quid igitur prohibet sanctos ita excellentes colere?

Q. Christus *Matth.* IV. 10 ait: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. Quare ergo statuitur licitus, et pius Sanctorum cultus?

℟. 1. Christus iis verbis prohibuit exhiberi creaturis etiam sanctis cultum *latriae*,

quæ

quæ solius Dei est ; ipse enim est principium, et finis omnium rerum, supremus omnium Dominus, quod per cultum *latriae* significatur. Non vero prohibuit sanctos coli cultu *duliae*, quæ est professio venerationis erga sanctos, qui fuerunt in hac vita Deo accepti, et nunc regnant cum Christo in Cœlis. 2. Christus prohibuit impendi creaturis ipsum *duliae* cultum, si creaturæ vel sint scelestæ, et Deo inimicæ, ut Dæmones, aut peccatores; vel sint inanimes, ut sunt Sol, Luna, animalia; injuria enim est in ipsum hominem, rebus inanimis per cultum se subjicere.

Q. Si sanctorum cultus licitus est, et pius, cur Angelus *Apoc.* XIX. 10. noluit a Joanne adorari dicens: *Vide ne feceris . . . . Deum adora* ?

℟. Angelus prohibuit adorationem Joannis vel ad avertendum cultum *latriae*, vel ut ostenderet suam reverentiam erga eum eximium virum, Christi Apostolum, Evangelistam, Prophetam, Martyrem; quod est verisimilius, dixit enim, *conservus tuus sum*,

§ II.

§. II.

Cultus Reliquiarum.

Q. Quid sunt Reliquiæ?

℞. Sunt non solum cineres, et ossa sanctorum, sed etiam vestes, et alia, quæ ipsorum usui, dum viverent, erant destinata.

Q. Licetne Reliquias colere?

℞. Dogma fidei est, licitum, et pium esse Reliquias colere. Deus enim eas miraculis illustravit omni tempore, Sic pallium *Eliae* Jordanis aquas divisit: cadaver *Elisaei* solo contactu mortuum resuscitavit: *sudaria*, et *semicinctia* Pauli Apostoli expellebant Dæmones, aegrotos sanabant. Unde Gregorius Naziazenus *Orat.* III. sic alloquitur Julianum: *tune illos*, scilicet sanctos, *reveritus non es . . . . . quorum corpora tantumdem possunt, ac sanctae eorum animae, sive tangantur, sive honorentur?* Plena est Historia Ecclesiastica miraculis, quae per sanctorum reliquias patrata sunt. Hinc Ecclesia a primis sæculis Reliquias Sanctorum religiose servavit, et venerata est. Qui usus in variis Conciliis probatus, denique confirmatus est in Concilio Tridentino *Sess.* XXV. et damnati sunt contrarium sentientes.

Q. Si licitum, et pium est Reliquias venerari, cur Christus, *Matth.* XXIII. 22. Pharisaeis exprobravit, quod aedificarent

se-

sepulcra Prophetarum, et ornarent *monumenta justorum*?

℟. Christus exprobravit Pharisæis propter eorum hypocrisim. Ii enim ut viderentur alieni a scelere Patrum suorum, qui Prophetas occiderant, extruebant Prophetarum sepulcra, et interim maximum scelus meditabantur, nempe Christum occidere, omnium Prophetarnm Dominum.

§. III.

CULTUS IMAGINUM.

Q. Licetne imagines colere?

℟. Non est illicitum imagines colere sanctorum; et est dogma fidei. Nam 1. Deus in veteri lege permisit, et præcepit Israelitis *arcam* adorare, quæ erat signum, et figura majestatis suæ, imo severe punivit eos, qui non ea, qua par erat reverentia, *arcam* vel vidissent, vel attigissent: et semper *arca* eximio honore est habita, præsertim cum translata est a Davide in Sion maxima pompa. 2. Augustinus *lib.* III. *de Doctrin. Christian. cap.* 9. ait: *Qui veneratur utile signum . . . . . non hoc veneratur, quod videtur, sed illud, quo talia cuncta referenda sunt.* Et Gregorius M. *Epist.* LIV. ad *Secundinum* misit *Secundino* imagines Christi, B. Virginis, et Apostolorum, ut ob *recordationem Filii Dei in ejus amore recalescat*. 3. Cultus imaginum primum vindicatus in variis Conciliis Particularibus; deinde

de, ut licitus, definitus est in Concilio Nicæno II. contra *Iconomachos*, et *Iconoclastas*; denique confirmatus in Concilio Tridentino adversus *Novatores*, qui anathemate percussi sunt contrarium docentes.

Q. Deus *Exodi* XX. 4. omnem imaginem prohibet: *non facies tibi sculptile*, *neque omnem similitudinem* . . . . *non adorabis ea*, *neque coles*. Igitur quo pacto hic statuitur licitus imaginum cultus?

℞. 1 Deus recitatis verbis prohibuit imaginem effingere, quæ Dei naturam sensibus repræsentaret; *spiritus* enim *est Deus*. 2. Si ad cujuslibet rei imaginem recitata verba extendi volunt, patet Deum vetasse usum imaginum, quibus cultus *latriae* exhiberetur: *non adorabis*, ait, *neque coles*. 3. Illud præceptum erat *caeremoniale*, Judæorum ingenio accommodatum, qui proclives erant in idololatriam; ac proinde Iudæos tantum respiciebat; cui tamen præcepto Deus ipse aliquando derogavit, jubens erigi serpentem æneum; duo *Cherubim* ex utraque parte oraculi pendere. etc. Abolita per mortem Christi lege Mosaica *caeremoniali*, *et judiciali*, relictum est Ecclesiæ prudentiæ, pro temporum, et locorum circumstantiis imagines vel permittere, vel prohibere.

Q. Si cultus imaginum non est illicitus, cur nullus fuit, imo interdictus primis Ecclesiæ sæculis?

℞. 1. Falsum est, primis Ecclesiæ sæculis nullum fuisse, aut omnino interdictum imaginum cultum; testes sunt *Origenes*, *Mi-*

nu-

nucius Felix, aliique. 2. Non negamus fuisse rariorem, quia periculum erat, ne Gentiles recens ad fidem conversi putarent imagines non differre ab *Idolis*, quæ antea adoraverant, et iterum in idololatriam reciderent. Reddita IV. Sæculo Ecclesiæ pace, usus imaginum frequentissimus esse cœpit. Igitur non est illicitus; quod *enim universa facit Ecclesia*, *utrum faciendum sit disputare*, *insolentissimae insaniae est*, ait Augustinus.

Q. Nonne Idololatria est, cultum exhibere telæ, ligno, aut æri, quæ sunt sanctorum imagines?

℞. 1. Cultus imaginum non est *absolutus*, sed *relativus*, h. e. non sistit in tela, ligno, aut ære, sed refertur ad sanctum, cujus est illa imago. 2. Non desunt Theologi, ut *Thomasinus*, aliique, qui docent nullum cultum internum ipsis imaginibus deberi; sed omnia venerationis signa mente esse dirigenda ad ipsa *prototypa*. Quæ sententia, quamvis nobis non arrideat, cum Concilia Nicænum II., et Tridentinum doceant ipsas imagines colendas esse *propter prototypa*, tamen satis est ad obstruenda hæreticorum ora nos calumniantia. Ceterum a Pastoribus instruenda plebs est, ne preces suas ad imagines ita dirigat, ut in iis sistat, sed mente ad sanctos referat; ex Concilio Tridentino.

§. IV.

§. IV.

Cultus Crucis Christi.

Q. Licetne crucem Christi adorare?

℟. Licet, imo debet adorari crux Christi, sive illa, cui Christus affixus est, sive illa quæ ad imaginem ejus formata est, sive quæ manuum agitatione peragitur. Primam, quam *Helena* mater Constantini mirabiliter invenit Ecclesia semper venerata est, ut testes sunt *Cyrillus* Hierosolymitanus, *Ambrosius*, *Ruffinus*, *Theodoretus*, aliique. Et Ecclesia Festum inventionis sanctæ crucis instituit, et celebrat. Alteram semper in honore habitam esse testatur *Theodoretus* sermone VI. contra Græcos scribens: *Graeci, Romani, ac Barbari crucifixum profitentur Deum, crucisque signum venerantur*; et *Chrysostomus* fidem facit *Homil.* LXI. Imperatores suis coronis, vestibus, et armis honoris gratia imposuisse crucis signum. Tertiam denique semper summa Religione custoditam esse testis est *Tertullianus*, qui floruit II. sæculo *lib. de corona. Ad omnem progressum, ad omnem exitum, ad lavacrum, ad mensas, quocumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus*. Idem docent *Origenes*, *Cyprianus*, aliique.

Q. Quo cultu Crux adoranda est?

℟. Cum juxta nostram sententiam cultus imaginis distinctus sit a cultu exemplaris, sequitur, Crucem non esse adorandam cultu

la-

§. II.

Utrum Sancti possint invocari.

Q. Licetne Sanctos invocare?

R. Non licet invocare *invocatione* strictius sumta; non enim possumus appetere, sive desiderare alium ultimum finem, nisi solum Deum. 2. Non licet invocare *invocatione* latius accepta, scilicet oratione, quæ ad eos dirigatur, ut ipsi per se bona, quæ postulamus, largiantur; solus enim Deus est Dominus omnium. 3. Licitum, et pium, et utile est sanctos invocare *invocatione* latius sumta, ut a Deo per Jesum Christum beneficia nobis obtineant. Nam 1. Ex Scriptura constat, homines justos hac invocatione Angelos invocasse, ut Loth. *Genes.* XIX. 18. Jacob. *Genes.* XLVIII. 16. Ergo et sanctos invocare licitum, et pium, et utile est. 2. Licitum, pium, et utile est invocare Sanctos adhuc in terra viventes, h. e. commendare se ipsorum orationibus. Sic Israelitae *Samuelem* orant I. *Reg.* VII. 8. *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum, ut salvet nos.* Quidni Sanctos cum Christo in Coelis regnantes? Imo ipse Deus amicos *Job* jubet ad eum confugere, ut oret pro ipsis *Job.* XLII. 8. *Ite ad servum meum Iob, et . . . . : . orabit pro vobis.* Ergo multo magis invocari possunt sancti *de sua immortalitate securi, de nostra immortalitate solliciti*, ut ait Cyprianus *lib. de Mortalitate*. Hinc con-

stans, et perpetua Patrum traditio docet, fideles semper sanctos invocasse, ut a Deo per Jesum Christum ipsi sancti, quæ postulabant, impetrarent.

Q. Apostolus I. *Tim.* II. 5. inquit: *unus est mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus*. Invocare autem sanctos non esset mediatores multiplicare?

℟. Unus est mediator *primarius*, qui merita sua Patri offert, et pro nobis intercedit. Sancti sunt mediatores *secundarii*, ut ita dicam, quatenus per Jesum Christum a Patre beneficia nobis impetrant. Unde Ecclesia quamlibet suam orationem, quæ dirigit ad sanctos, concludit per *Christum Dominum nostrum*.

FINIS.

IN-

INDEX

PROLEGOMENA THEOLOGIÆ.

TRACTATUS DE LOCIS THEOLOGICIS.

TRACTATUS DE DEO.

TRACTATUS DE CREATIONE.

Dei

pa-

TRACTATUS DE VERBI INCARNATIONE.

CAP.

§. II.

35. *hominum* . 319

APPENDIX

DE CULTU, ET INVOCATIONE SANCTORUM.

FINIS.

Erra-

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 10 quao	quae
32 *catholicas*	*catholicitas*
35 Ponteifium	Pontificum
38 *Haec*	*Hanc*
51 dua	duas
85 eas	eos
102 calamitatibus	in calamitatibus
106 *incommunibilis*	*incommunicabilis*
145 XIVI.	XVI.
155 Absinemus	Abstinemus
167 scripttis	scripturis
178 *Origines*	*Origenes*
182 intellexerunt	non intellexerunt
191 CCCCXXIII.	XXVIII.
192 intivitiva	intuitiva
199 *nonam*	*ponam*
216 et 218 *puniendos*	*puniendas*
217 describi	describitur
239 carnalem	canalem
243 *rocatus*	*rogatus*
250 in quibus	in quo
263 expressa	expressae
292 satifaetio	satisfactio
ibid. petui	potuit
299 hac	hac re
329 præcæpto	præcepto

A

A Sua Eminenza Il Cardinale Arcivescovo di Napoli Presidente della Giunta permanente di P. I. Eminenza ! Non vi è proposizione alcuna avversa alla Religione, o alla Sovranità nell' Operetta divisa in due Tomi intitolata : *Epitome Theologiae Dogmaticae, ad usum Ecclesiasticae juventutis*. Essa riuscirà di gran vantaggio alla Chiesastica gioventù. Giudico perciò, che possa stamparsi se così sembra anche a V. E., cui bacio riverentemente il lembo della Sagra porpora. Napoli San Domenico Maggiore 21 Gennajo 1822. P. Maestro F. Luigi Vincenzo Cassitto Delegato de' Domenicani, Regio Revisore.

Na-

Napoli 21. Gennajo 1821.

La Giunta Permanente per la pubblica Istruzione.

Veduto la domanda del Sacerdote D. Francesco Falco per dare alle stampe l' opera intitolata: *Epitome Theologiae Dogmaticae, ad usum Ecclesiasticae juventutis*.

Veduto il parere del Regio Revisore P. M. F. Luigi Cassitto; permette, che l' indicata Opera si stampi; ma ordina che non si pubblichi, se prima lo stesso Regio Revisore non attesti di aver nel confronto riconosciuta la impressione uniforme all' originale approvato, e non eseguita la consegna ad essa Giunta delle sedici copie ordinate dal Real Decreto de' 24. Dicembre 1817.

Il Presidente Firmato
Luigi Cardinale Arcivescovo.

Il Segretario Generale, e membro delle Giunta firmato Angelo Antonio Scotti.

Per Copia Conforme - Il Segretario Generale, e Membro della Giunta Angelo Antonio Scotti.